

5

198

1928 K 944

27

14

45

M. SIMON. FRID. FRENZELII,
LUSAT. FACULT. PHILOS.

27

ADJUNCTI,
IN ILLUSTRILEUCOREA,
DISSERTATIO

ETHICO - POLITICA

DE

POENIS

EX PROPORZIONE ARITHMETICA
STATUENDIS,

Per sententiarum collatio-
nem publice distinctis vici-
bus ventilata.

Excudebat Joh:Hake, Anno
M.DC. LXIV.

1664

no 13



SERENISS. AC POTENTISS.
ELECT. SAXON.
IN ECCLESIASTICO
SENATU
PRÆSIDIS PLENDIDISSIMO
PERILLUSTRI, Ac GENEROSISSIMO
DOMINO

DOMINO CAROLO,
LIB. BARONI DE FRIESEN, ROTAVIÆ,
KOTHÆ &c. DOMINO, EIUSDEM SERENITA-
TIS COMITI CUBICULARIO, ET IN CON-
SILIO SANCTIORE SENATORI-
EMINENTISSIMO,

DOMINO SUO GRATIOSISSIMO,

NEC NON
CONSILIARIIS AMPLISSIMIS,
REVERENDISS. MAGNIFICIS ET
NOBILISSIMIS VIRIS

DNO. JACOBO VVEL-
LERO A MOLSDORF,
HÆREDITARIO IN KARSDORF: DOCT.
THEOLOGO INCOMPARABILI, SERENISS.
ELECT. A CONCIONIBUS AULICIS PRI-
MARIIS, CONFESSIONIBUS SACRIS,
CONSILIIQUE ECCLESI-
ASTICIS,

DNO. CHRISTOPHORO
BULÆO,
DOCT. THEOLOGO EXCELLENTISSIMO,
ECCLESIAE DRESDENSIS PASTORI, VICINA-
RUMQUE SUPERINTENDENTI MERITIS-
SIMO,

DNO. GODOFREDO BE-
RINGERO,
JCTO FAMIGERATISSIMO,



DNO. CHRISTIANO HEL-
GIO, JCTO CELEBERRIMO,
PATRONIS SUI MAGNIS, ET PROMOTO-
RIBUS DESIDERATISSIMIS,

HANC
DE ADMINISTRANDA
IN IRROGANDIS POENIS
JUSTITIA
VERIS EJUSDEM PRÆSIDIBUS, CUSTODI-
BUSQUE OPTIMIS,

SUBMISSISSIMO VULTU
ET
OBSEQUIOSO CULTU
M. SIM. FRIDER. FRENZELIUS,
SPLENDORI EMINENTIÆQUE EORVM
SEMPER DEVOTUS

D. C. D.



CUM PROSPERO NUMINE !

CAPUT I.
SECTIO I.

STATUM CONTRO- VERSÆ ADAPERIENS.

§.I.

Non nascendi tantum vim virtutibus impertitur cœteris Justitia, sed univērsæ adeò societati humanæ subsistendi æque adspirat robur. Cunctos etenim mortalium actûs in certis quasi & justâ lege definitis continet cancellis, intrâ quos decurrunt feliciter, & honestatis, quàm præfixam habent, metam optatò attingunt. Unde constat uniuscujusque vitæ sua libertas, securitas, tranquillitas? unde famæ existimatio sua sibi arcescit præsidia? Unde deniq; bona ex æquo cuncta perennem suum vigorem sperare habent? Non nisi à justitiâ, optimâ vitæ, famæ, bonorumq; præside, cujus provisionibus ac tutelæ omnis herclè societas referre debet, si in varios felicitatis foetus efflorescat, ac in latissimos quosque exurgat ortus.

II. Non unâ tamen perinde ratione Regina illa virtutum Justitia suam explicat virtutem, sed objecta sua prout accipit, itâ pro suâ tractat indole, ut cuilibet horum dignum factis maneat præmium; imitatura stellarum principem, Solem, qui, uni licet regioni æqualiter incumbere videatur, variè tamen inferiorum afficit corpora, mox humorem iis inducendo, mox ea consolidando & in arctum cogendo. Adeò solemne Justitiæ, & innatum verè est illud, SUUM CUIQUE TRIBUERE. Sua tribuit bonis, sua malis. Illos cumulado afficit honore, & dignissimis beat præmiis, ut humanam transgressi sortem, Diis quam proximè accedere videantur: His promeritas infligit pœnas,

A

nas,

nas, ut ignominiosâ tandem, cum nihil spei resipiscendi reli-
quum sit, morte ipsis pereundum fiet.

III. Et hoc (de quo postremo loco dixi) maximè propri-
um est *justitiæ particulari*, quæque speciali nomine *commutati-
va* venit. Recepta enim hæcenus, & omnibus in universum,
ferè Dd. probata est divisio *justitiæ particularis* in *distributivam*
& *commutativam*: Illa quidem rationem habet dignitatis per-
sonarum in distributione rerum publicarum, quarum nonnul-
læ bonæ, ut pecunia publica, agri ab hostibus capti, honores
& dignitates, aliæ malæ, quales labores sunt, contributiones,
omniaq; illa, definiente ipso *Philosopho Ethic. 5.* quæ distribui
inter eos possunt & solent, qui unius civitates cives sunt. Ita
tamen distributiva personas attendit, ut talis ubiq; servetur
æqualitas, qualis cuiq; pro suo merito debetur; quæ est indo-
les proportionis in communi dictæ *Geometricæ*, & sola distribu-
tivæ propria putatur. Cuilibet toti suæ partes majores sunt, suæ
minores; & Respublica quævis s. societas suis quasi gaudet par-
tibus: majoribus itaq; majora, minoribus minora justitiæ ad-
judicat convenienter. Major virtutis splendor majorem sibi cõ-
parat applausum, præmiorumq; amplitudinem, minor & debi-
lis quodammodò, minoribus rectè donatur elogiis. De oneribus
ferendis idem esto judiciû. Ulrorumq; æqualitas ex Mathema-
ticis resultat argumentis clarius, de quæis consulatur *CL. Hor-
nejus l. 3. Ethic. c. XII. p. 468. seqq. Excell. Dn. D. Wendel. in phil. pr. p.
m. 178. seqq.* aliiq; benè plures.

IV. *Commutativa* ab hæc longè diversa est, cum occupa-
ta primariò sit in corrigendis *συναλλάγματι*, sicubi quædam
in iis facta inæqualitas. Quâ ratione à nonnullis dici cœpit *E-
mendativa*, ut *Michaële Epheſio, Græco interprete, in proæmio l. 5.*
& *alibi, correctiva*, factâ denominatione à priori. Notandum
tamen probè, vocem *συναλλάγματι*, maximè *ICTIS*, deno-
tare partim omne negotium, ex quo actio civilis nascitur, eti-
am ab uno saltem latere; partim eos demum contractûs, ex
quibus utriusq; nascitur obligatio. Nos v. cum Aristotele,
termino nonnihil ampliato, non contractûs tantum, sed deli-
cta æ-

Etæ æque, ac scelera eâ voce complectimur. *Leonhardus Aretinus*, *Job. Bernhardus Felicianus* per commercia, alii per commutationes, alii per res contrahendas, alii per contractus, per con-
sociationes, hoc objectum describunt.

V. Duplicia v. ex mente Aristotelis statuuntur *συναλλάγματα*, *voluntaria & invita*: in illis principium est voluntarium, fiuntq; inter scientes & consentientes; ut *inter emtorem & venditorem*, ubi factâ conventionem, emtor rem pretio solvit; *inter mutationem*, quâ rem alicui tradimus, ut eodem genere, eadē-
que bonitate & qualitate nobis restituat. Talis species æque est *commodatum*, quo rei alicujus usus certus conceditur gratis, ut res illa eadem in specie usu finito restituatur: *Depositum*, quod in solâ rei depositæ custodiâ gratuitâ usq; ad tempus repetitionis consistit. Et denique *locatio & conductio* bonæ fidei consensu constans, quo aliquid utendum vel faciendum pro certâ mercede datur. Quæ verò *invita* sunt, ea in nostrâ potestate haut sunt: qualia sunt, tum *clandestina*, ut adulterium, furtum, veneficium, lenocinium, abductio, falsum testimonium, cædes dolo facta, tum *violenta*, ut rapina, verbera, mors, vincula, *maledictum*, servitus. Prolixiorem horum facit distributionem *Thomas 2. 12. q. 61. art. 3.* quem sequitur *Hornejus* l. c. utut nec illa divisio, judicante *Cajetano & Valentia*, accurata satis & sufficiens statuatur.

VI. Rationem verò, quare delicta hæc *συναλλάγματα* nominentur ab *Aristotele*, *Michaël Ephesius* in *Comm. ad cap. 2. lib. 5. Ethic.* dat satis luculentam, inquiens: *Sed querendum, quomodo hæc commercia dicenda sint. Fortasse ob eam causam, quod qui furatus est, pro furto interdum alia quædam restituit: interdum a. flagellatur, a. manibus vel oculis privatur: quâ in re esse & datio & acceptio quodammodo videtur, in quibus commercandi contrahendiq; ratio consistit. Nam cum surripuerit pecunias fur, a. quippiam aliud, pro illis pænas solvit: simili modo, qui adulterium commisit, vel pecuniis, vel supplicio aliquo mulctatus flagitium luit: qui item veneno aliquem necavit, par aliquod damnum etiã ipse perpetitur: non aliter etiam, qui vel seduxit servum, vel necem*

*alicujus dolosè molitus est, simili aliquâ jacturâ scelus perpetuare
compensat. Nec aberrem adeò, si asseram, delinquentes tales,
obligationem quamvis nullam intendant, poenis tamen à Ma-
gistratu, vel civili Majestate statutis, vel ab ipso justissimo Nu-
mine definitis, obstringi.*

VII. Cum v. justitia usque involvat ex se & suâ naturâ
æquale & medium, & insimul necessariò referatur ad alterum,
in quatuor potissimum terminis versatur, personis scil. duabus,
totidemque rebus: id quod *Philosophus* explicat fusius c. 6. *Ne-
cesse est igitur, ut jus medium & æquum sit, & ad quoddam & qui-
busdam, & in eo quidem, quod est medium, est aliquorum, ea a-
sunt plus & minus, in eo, quod est æquum duorum: in eo v. quod jus
quibusdam, & ad quosdam. Itaq; necessariò consequitur, ut jus
in quatuor minimis versetur: nam & ij, quibus jus aliquod est, duo
sunt, & res dua etiam, in quibus jus ipsum consistit: eademq; & in
quibus æqualitas est.* Sponte ex hisce proportio quædam in
commutativam fluit, quæ tamen non adeò personarum digni-
tatem respicit, in modum distributivæ, sed simpliciter rerum,
ipsarum modum ac mensuram: Non de communibus bonis
hîc civibus aliquid confertur, sed tale observatur æquale, quod
simpliciter tantum interjacet inter plus & minus, sive cum res
in duas æquales partes tribuitur, ita ut æqualis tantum distan-
tia utrinque sit à lucro & damno; voce lucri & damni latius
acceptâ, ita ut ex mente *Aristotelis* lucrum sit plus boni & mi-
nus mali, damnum plus mali, & minus boni, utrumque v. fiat
in vitis hominibus, sive cum alterius injuriâ conjunctum sit.
Quod si ergò neuter inter commutantes plus boni aut minus
mali habet, quam habere meritò debebat, tunc commutatio, si
à justitiæ lege in tantum recessit, ad æqualitatem redacta de-
nuò est.

SECTIO II.

CAPUT REI ATTINGENS.

§. I. Ipsum caput rei dum evolvere ingredior, ingens
diversè sentientium numerus sese offert, ut arduum maximè
sit,

fit, certi aliquid definire, & in ambiguo ad eò positum, quid statuendum, quidve rejiciendum. Non tamen à sanà ratione recedendum temerè, nec Præceptorum & probatissimorum Auctorum vestigia deserenda facile; horum itaque ductum secutus, pœnas, earumq; inflictionem commutativæ subordinandas fore justitiæ, pronuntio. Quanquam enim præmia & pœnæ ad unum genus redigantur à plurimis, (quod in limine statim amolendum) & distributivæ pari jure inserantur, ob proportionem tamen, quam præmia à pœnis diversam obtinent, in diversas quoque illa justitiæ abeunt species non injuriâ.

II. *Momenta* v. quæ animum trahunt, depromimus primò à diversâ *objectorum ratione*: aliam sortita est indolem res, quæ distribui apta nata est, aliam, quæ commutari: non incertâ illæ vagantur sede, nec una illarum ad utramque rapienda speciem: Quod distribuitur, commune quodammodò est, seu totius communitatis, & inter membra ejus partibile: De pœnis v. talia determinare quis valeat? non communes habentur eæ, sed speciales maximè.

Dein, à diversitate *subjectorum*, quæ ex ratione modò allatâ emergit facile; Non omnibus promiscuè præmia decernit distributiva, nec honores confert universis, quin ei potius, qui pars existit communitatis: Commutativa v. suos exercet contractus inter privatos unicè, pœnasque exigit non à civibus, quâ talibus, sed à sceleratis latronibus, homicidis, mœchis &c. *Tertiò,* à diverso *existendi modo*; Omne, quod distribuendum, ut commune, illud naturâ prius est partibus, in quas tribuitur, sicut tota summa prædæ, inter milites distribuenda, prior est portione, quam ex eâ capit imperator, duces: Pœnæ verò multis simul infliguntur, nec aggregatio pœnarum istarum est prior singulis pœnis, quæ huic à illi nocenti infliguntur. Quare pœnæ nec quid commune sunt, nec sub distributionem propriè cadunt.

III. Neque ad eò abs re foret, si argumenta tandem ducamus ab absurdo, & consensu, tum veteriorum, tum recentiorum *Ethicorum*: Illud quidem hâc ratione expediendum est; Pœ-

nae a. ad distributivam, a. commutativam pertinebunt justitiam, tertium fortean non dabitur: si ad distributivam ex nonnullorum sententiâ, dignitas personarum necessario inferenda erit: at si tale quidpiâ admittent alii faciles, legû quâ divinarum, quâ humanarum vigor exspirabit, ejusqve amplitudo nimium labefactabitur, nec non contrahetur. Severissimo mandato divino de profundendo iterum sanguine illius, qui eundem profudit, non sua constabit universalitas, & dignitas; nec commune quoddam Magistratûs institutum erit, ut omnis fur necetur suspendio, sed in quibusdam tantum, ignobilioris fortè conditionis rigor iste persolvendus erit. Et quæ talia plura ex eo elici possent consecutaria, si de iis pronuntiandi in specie daretur spatium.

IV. Adjungendus deniqve his rationibus *consensus scriptorum probatorum*; ubi primo statim loco citandus nobis venit ipse *Philosophus*, cujus autoritas plurimis instar omnium est: *Restat*, inquit l. 5. c. 4. *justum, quod fit in emendandis commerciis tam iis, quæ suâ sponte faciunt homines, quàm iis, quæ invitis ipsis efficiuntur.* Emendare v. contractus invitos nihil aliud verè est, quam delicta punire. Quare statim proportionem pœnis irrogandis convenientem subjicit: *Nihil n. refert, ait, si probus pravo detraxerit, an pravus probo, neq; si adulterium probus, an pravus commiserit; sed ad differentiam nocumenti lex respicit tantum, & personis utitur ut equalibus &c.* Clarissima Aristotelis verba excipiunt Averroës 5. *Ethic.* Thomas 2.2. q. 61. art. 3. Cajetanus, Acciajulus 5. *Ethic.* c. 4. Soto de just. & jur. l. 3. q. 5. art. 1. His adjungimus D. *Vendeler.* & *Hornejum* l. *antec.* Quid? quod horum testimoniis superfedere in universum queamus, quum apud omnes veteres Philosophos inauditum sit, correctionem ullius delicti ad justitiam distributivam spectare, teste jam laudato *Hornejo.* l. c.

V. Genuinæ itaqve & sibi propriæ pœnis sedi restitutis, in proclivi nunc est, eam insimul afferre proportionem, quam justitiæ commutativæ illis assignant limites. Medium qui hîc tueri pertentant, & rei difficultatem eo effugere sustinent, non

in

in mediâ, quæ tutissima alioquin & iusta proin habetur, incedunt viâ, pœnas earumque inflictionem & distributivæ & commutativæ committentes justitiæ. Una hîc seligenda via, una amplexanda proportio, tutandaque: *Aritmetica* scil. omnium optima, ac suo objecto dignissima. Non videndum adeò, quis pœnam subeat, an in excellentiori quodam idem dignitatis gradu constitutus fiet, an v. inferioris conditionis homo, sed quale admiserit flagitium, quamque ob id factis dignam pœnam referre habeat.

VI. Veruntamen, cum sine rationibus firmis in hisce ambiguis nihil ferè conficere valeas, nec procedere feliciter, nî momenta præstò sint, quæ moveant, animumque trahant, menti verum suggerendo, non abs re erit, causas in præsentia afferre cumulatus, & quam semel animo induximus sententiam, munire rationibus: Ubi primum prætermittendum minime videtur ipsius justissimi Numinis iudicium, è sacris hauriendum literis, quippe quod personarum respectum, vel dignitatem, (eâ v. geometrica absolvitur proportio) disertè rejicit. Clarissima Deut. 1. 16. 17. verba sunt: *præcepi iudicibus vestris tempore illo, dicendo: Audite inter fratres vestros, & iudicate, justè inter virum & fratrem suum, & inter peregrinum ejus. Non agnoscetis faciem in ipso iudicio, sicut parvum sic & magnum audietis: non timebitis à facie cuiusquam, quia iudicium Dei est.* Et Deut. 16. 19. *Non inclinabis iudicium, non accipies personam, nec munera; quia munera excæcant oculos sapientum &c.* Conferatur Exod. 23. 3. Levit. 19. 15. Et Proverb. 2. v. 23. *Agnoscere faciem in iudicio non est bonum, Vid. c. 17. 15. c. 18. 5.* Ut exempla ibidem occurrentia præteream, quæ fratrum, filiorumque pœnam describunt. 1. Sam. 14. 44. 2. Sam. 13. 38. 39. 1. Reg. 2. 24. & 31. 1. Reg. 15. 13. 2. Paral. 15. 16. Deut. 21. 18. seqq.

VII. Quæis gravissimum *Innocentii lib. 2. de utilitate conditionis humane*, aliorum Patrum, ut *Isodori l. 3. de summo bono c. 58.* testimoniis insuper habitis, accedit, inquentis: *Vos non attenditis merita causarum, sed personarum, non jura, sed munera, non quod ratio dicet, sed quod utilitas affectet, non quod sen-*

fentiat sed quod mens cupiat; non quod liceat, sed quod libeat. Nunquam in vobis est ita simplex oculus, ut totum corpus lucidum sit, sed aliquid semper frumenti admittitur, quo totam massam corrumpitis.

VIII. Leges v. humanas, si evolvere nobis incumberet, quod alii prolixissimo præstant opere, non alienas à mente nostra eas fore, intelligeremus. Innocentius III. fatur: sed forsitan dicetur, quod aliter cum Regibus & aliter cum aliis est agendum. Cæterum scriptum novimus in lege divinâ: Ita magnum judicabis ut parvum, nec erit apud te acceptio personarum. Et instituta civilia quid aliud injungunt, & inculcant seriò, quam ut ubique justitiæ habeatur ratio, ejusque administratores sint integri, sancti, incorrupti. Quare & eorum munera juramento quasi muniuntur, ubi promittere habent, sanctè, se æquos in causis utriusque parti, & in publicis disciplinis fore; nullique parti citra quam justum est, præstituros; sed universa executuros delicta, & omnem æquitatem servaturos, secundum quod sibi visum fuerit justum, & eos quidem, qui innoxii sunt, undique innoxios, illæsosque conservaturos, noxiis a se imposituros supplicium secundum legem, & omnem justitiam in publicis privatisque contractibus servaturos.

IX. Quod & præterea gentes veterumque exempla factis confirmant. Nam iis in more positum fuit, justitiam pingere cum peplo oculis obducto, notante *Drusio in comment. super difficil. loca Deut. c. 3. p. 509.* indigitaturis, nullius personæ respectum habendum esse: Alii veterum justitiam sistunt formâ virginali, aspectu vehementi, & formidabili, luminibus oculorum acribus, neque humilis, neque atrocis, sed reverendæ cujusdam tristitiæ dignitate. Quâ de re & Athenienses olim judicia sua de cædibus noctu & obscurâ luce in Arcopago seu Martis vico habuere, sic fore rati, ut propter nocturnas tenebras judices id, quod æquum & justum est, absque ullo personarum respectu pronunciarent, nec aspectu partium moti, à justitiæ & æquitatis tramite deflecterent. *Alex. ab Alexandr. libr. 3. genial. dier. c. 5.* Romani legibus sûtuariis Faniâ, Liciniâ, Æmiliâ,

miliâ, Antiâ, Juliâ, omnibus earû violatoribus ex æquo easdem decreverunt pœnas. *Macrob. l. 3. Saturnal. c. 17. Agellius l. 2. noſt. Attic. c. 24.* Idem intendunt leges Draconis, Solonis, XII. Tabularum, & ſimiles, æqualem pœnam omnibus ditantes.

X. Descendimus ad rationes, quarum *prima* proportionem probat arithmetica, quum iuſtitia proprium ſit, ſuum cuique tribuere; at æqualibus delictis, æquales tribuendæ pœnæ. Injuſtè itaque iudex explorer ſuas partes, qui diverſæ conditionis homines, æqualiter delinquentes, inæquali multaret pœnâ, nec ſuum cuique tribueret: Sit potius *ſiſg. G.*, quaſi *ſiſxay G.*, per medium tranſiens, & æqualitatem obſervans; ſit ut Germani dicunt, ein *Biedermann/ q. beydermann/* eò quod utriqve litigantium parti favere ex æquo debet. *Altera*, quia in delictis nulla ſunt dignitatis privilegia. Qui non omnem honeſtatem proſtigat, & de induſtriâ graviter peccat, omnem ſimul dignitatem exuit: Nullo itaque amplius honore dignus, nullo nobilitatis ſplendore clarus. Et ſanè, ſi talis progreſſus obſervandus (quod *tertiam rationem* conficit) in mala is abiret exempla, & uſitatas adimpleret querelas plebejorum, injuſtius ſecum agi, inclamantium.

XI. Exempla enim proſtant quàm plurima, quæ documenta præbent illuſtria discriminis præſentiffimi Rerumpublicarum, ubi ſcelera ſuperiorum ſ. digniorum impunita abière. Edifferunt id leges Polonorum de homicidiis, quibus Caſimirus rigorem legum divinarum & humanarum corrigere voluit, ipſomet ſatente *l. 1. Statut. c. 15. a. 6. l. 7.* id effecit ſcilicet, ut Sigismundus in Comitibus Petricov. Anno 1523. inficiari non potuerit, ex levitate ſupplicii, quo caſtigantur homicidia nobilium, nec quemquam ferè in templis, nedum domibus tutum eſſe. Ideò Mediolanenſes Napum Toreſanum, Patritium carcere necârunt, quod pecuniâ tantum nobilium, coedes expiari vellet. *Bodin. l. 6. de Republ. c. ult.* Simili modo Erenum III. tractârunt Scoti, quod plebejorum uxores, etiam nobilibus ad nutum eorum communicari juberet. *Georg. Buchan.*

B

chan.

chan. l. 4. rerum Scotic. Omnium itaque rectissimè *Machiavel-*
lus l. 1. discurs. c. 24. demonstrat: non tutum esse legibus, Viris
magnis, a. benè meritis impunitatis spem facere, eò quod nun-
quam conqvietura sit Respublica ab eorum criminibus, dum i-
stâ spè quidvis perpetrantes, postea impunitatem ex legibus si-
bi promittent.

XII. Restat, ut ultimò nonnulla, quæ quidem ad rem
firmandam faciunt, argumenta ab absurdo ducamus; Quod
si enim neutiquam secundum proportionem Arithmeticam sed
Geometricam, unius criminis rei puniendi sunt, respectus
personarum etiam Geometricè ita observandus erit, ut major,
majus ferat supplicium, minor minus: adeoque nobilis majore
incurreret hâc ratione pœnam, minorem ignobilis vel ser-
vus. At posterius absurdum maximè est, secus sentientibus
E. & prius. Alia insuper inde elicit absurda *CL. Hornejus lib.*
3. Ethic. c. 13. Si secundum proportionem Geometricam ple-
ctantur delicta, sufficit, si simpliciter, quanto unum eorum ma-
jus est altero, tanto etiam graviore pœnâ afficiatur. Sed hoc
non sufficit; commiserit n. unus reorum fornicationem, alter
simplex adulterium, tertius adulterium duplex, quartus ince-
stum. Ponatur item adulterium simplex crimen esse duplo
maius fornicatione, duplex adulterium rursus duplo majus
simplici, incestus totuplo majus delictum adulterio etiam du-
plici. Si justè puniti fuerint, ubi posterioris pœna duplo ma-
jor fuerit pœna prioris, ergò fornicator pœnæ loco pendat du-
os obulos, simplex adulter quatuor, adulter duplex octo, in-
cestuosus sedecim. Hæc est proportio Geometrica, sicut n. se
habet persona ad personam, ut illi vocant, ita pœna ad pœnam.
Pœna v. ista si insufficiens, unde æstimabitur, quanta debeat esse
primi istius pœna: illa n. proportio id jubet tantum, ut totuplo
minor sit pœna primi pœnâ secundi, quotuplo crimen secun-
di majus est crimine primi, quantam a. oporteat pœnam esse,
non exprimere potest. Fundamentum itaque justæ punitio-
nis hîc est, pœnam simpliciter adæquare delicto, i. e. rem rei;
quod proportionis Arithmeticæ est.

XIII. U

XIII. Ut taceam, justam esse posse distributionem, etiam ubi unusquisque tantum non consequitur, quantum merito est, sed quantum ex summâ distribuenda, quæ in promptu est, percipere suo loco potuit. Et denique, si etiamnum Geometricè pœnæ infligendæ forent, alia esset statuenda nobili homicidæ, parricidæ, proditori, furi &c. alia ignobili, alia domino, alia servo, alia Magistratui, alia civi &c. Quanta inde pœnarum varietas ex vario personarum respectu in unico delicti genere oriretur? Quâ arctissimis includerentur limitibus universales leges; non hominum tantum, sed divinæ maximè? Quicumque demum fiet, si criminis reus, non à dignitate denominatur, sed à perpetrato scelere, severè quoque ex æquo puniendo.

SECTIO III.

MOMENTA IN CONTRARIUM ADDUCTA REFELLENS.

§. I. Sua nobis nunc contrariæ sententiæ Magistri obvertunt ratiocinia, eaque ceu ordinatam quandam aciem producunt. Et quæ nos usi sumus fundamentis in asserendâ questione, iisdem ac ex illis penè rivulis diductis momentis destruere sententiam sustinent. Primum itaque sacrum allegant codicē: Generale statutū Numinis est de necandis homicidis Exod. 21. 12. At Domini, qui servos suos severiꝯ castigando occidunt, à mortis supplicio absolvuntur v. 21. sic lex divina erat, oculus pro oculo, & tamen, cum herus servo suo excludebat oculum, non rursus amittebat oculum, sed mitiori pœnâ exceptus mulctabatur tantum amissione servi. Ergò maximè respectus personarum hîc inferendus erit.

I I. At præter cætera diversam hîc subesse juris indolem, conjicimus à jure politico seu civili, quod ex mente Aristotelis per similitudinem tantum & impropriè tale dicitur, ita differens: *Non est autem ignorandum id, quod nunc quarimus; &*

B 2

sim-

simpliciter jus & civile jus esse, hoc autem est, quod communione
vitæ affert, ut liberis hominibus, & æqualibus necessaria sufficiant &
atq; id vel proportione, vel numero. Quare quibus hoc non adest,
inter eos neq; jus civile esse existimandum est; sed jus quoddam per
similitudinem. Est n. jus inter illos, quibus etiam lex est; lex a.
inter eos est, in quibus est injustitia: judicium enim juris & inju-
riae dijudicatio est. Servus ergo cum sit instrumentum Domi-
ni, & totus quantus est, ipsius domini, nulla hic æqualitas ne-
que secundum proportionem Geometricam, neque arithme-
ticam est. Quare & eò olim deventum est apud Romanos, ut
ipsi Domini obtinuerint potestatem vitæ & necis in servos,
æque ut Parentes in liberos, de quo consulatur *Valer. Max. l. 5.
c. 8.* Quod tamen postea ex instituto Imperatorum, Severi,
Justiniani, & maxime Antonini mutatum in totum est, ut hic
quidem disertè sanciverit, qui sine causâ servum suum occi-
derit, æque puniendum fore, quam si alium occiderit. Et ab
eodem Antonino rescriptum: Dominorum quidem in servos
potestatem illibatam esse oportet, sed & eorum interest, ne
auxilium contra sævitiam denegetur justè precantibus.

III. Non igitur est, ut hoc ex sacris adductum momen-
tum sententiæ quicquam detrahat nostræ: ipsissima verba textûs
attendenda probè: *qui percusserit servum suum, vel ancillam vir-
gâ, & mortui fuerint in manibus ejus, criminis reus erit. Si a uno
die vel duobus supervixerit, non subiacebit pœna, quia pecunia e-
jus est.* Specialis lex forensis in speciali Ebræorum Republicâ
data est: Cau' a infuper duriter habendi servum in promptu
Domino esse debebat, & nimia severitas seu potius immanitas
vel ibidem graviter à Numine reprehenditur. Tandemque
ratio addenda absolutionis à crimine, *quia pecunia illius est.*
*J.annes Brentius in Exodi hunc locum ita commentatur: Lex
Mosi multò æquior fuit suo tempore, quam aliæ leges, quæ eo tempo-
re inter gentes extiterunt, & concesserunt simpliciter dominis in
servos, tanquam in jumenta, vitæ necisq; potestatem. Ergone li-
cuit patrifamilias in politia Mosaicâ impune in servum suum sevi-
re, modo non statim occidat? Licuit quidem impunè, quantum at-
tinet ad forensia supplicia. Quia, inquit lex, pecunia illius est: ser-*
mi-

minimè omnium licuit, quantum attinet ad peccata & supplicia coram DEO.

IV. Urgent insuper exemplum Jonathæ, filii Saul's, qui contra edictum Regis mel comedens ad intercessionem populi absolvitur, & liberatur à supplicio, quo gregarius miles affectus fuisset, si tale quid commisisset, 1. Sam. 14. 45. Verum maximum momentum hîc positum est in principiis actionum humanarum. Probè n. perpendendum est, an ex proæresi commissum quoddam criminis & de industriâ, an sine illâ & ex ignorantia: Prius cum de Jonathane asseri nequeat, nec criminis accusandus, nec pœnâ afficiendus ipse erit. Quare accurate *Christ. Mathias in system Ethic. l. 3. exerc. 9. qu. 8.* distingvit inter *ὁρθωπολησία*, quæ primò significat conditionem ordinis vel divini, vel humani, ejusque vel observati, vel violati. Sic ordo divinus fert, ut credentes salventur, increduli damnentur. Dein conditionem factam vel aggravantem, vel elevantem. Et talis acceptatio personæ tum in divino, tum humano judicio locum obtinet, ubi personis æqualibus tribuuntur inæqualia, vel inæqualibus æqualia, propter diversam conditionem, dum alius ex scientiâ, alius ex ignorantia tale admisit. Quod in Jonathane attendendum æquè. Tertio qualitatem extrinsecam facti naturam hâut attingentem, ut divitiæ, paupertas, nobilitas, generis obscuritas, ubi ex his causis æqualibus inæqualia, vel vice versâ tribuuntur, quod detestandum maxime. Tandè posito ex proæresi Jonathanum peccasse, æquitas tamen eum excusat, quem justitia accusat.

V. Judicium divinum leges excipiunt humanæ, ubi inter hoc & illas id intercedit discriminis, ut, quas illud dictavit pœnas, usque tenendæ sint sine ullâ hominum dispensatione: hæc v. mitiori incedunt viâ, aliquod moderamen ac respectum admittentes pro conditione rei. Legem Viscelliam hîc in contrarium maximè urgere solent, quæ plagiariorum servos bestiis projici, ingenuos securi percuti, aut in metallum damnari; si v. persona honestioris sit conditionis relegari jubet. Sic tenore legum gravius semper punitur servus, quam

ingenuus, peregrinus, quam civis, plebejus, quam nobilis, subditus, quam magistratus, paganus, quam miles. Hinc Antoninus rescripsit: in injungendis poenis, poenas ex personarum conditione, & rerum qualitate diligenter ac nervosè esse aestimandas, ne quid vel durius vel remissius constituatur, quam vel causa postulat, vel æquitas svadeat. Cui assentitur *Quintilianus l. 7. instit. Orator.* scribens: Ad poenarum deprecationem prodesse nobilitatem, dignitatem, propinquos. Quà deprecatione usus est Cicero in defensione *Æmilii Scauri.*

VI. Adstruunt has leges non parum statuta & consuetudo multorum populorum ac Rerumpubl. Indi, cum ejusdem sceleris convictos, nobilem & plebejum tenerent, nobili capillos aut brachialia truncabant, plebejo nares & auriculas præcidebant. Veteres Romani decurionem, quantumcunq; etiam crimen admisisset, in metallum a. in furcas nunquam damnarunt, furem nocturnum, si telo se defenderit, in metallum dabant, in dignitate collocatum relegabant, milites cum ignominia dimittebant. *V. Bodinus l. 6. de Republ. c. 6. p. 1191.* Ut cœtera exempla lubens præteream.

VII. At neque adductæ leges, neq; veterum mores nostram tollunt proportionem: Pleræque hæ enumeratæ poenæ quantitate differunt, qualitate conveniunt potissimum. Quæ levior est poena plebejo, gravior est nobili. Quare cum ille majorem, hic minorem sustinet, salva manet proportio Arithmetica. Post, si tandem nonnunquam poenarum inæqualitas inter unius criminis reos observetur, æquitati id largiendum denuò, non juri stricto, justitiæque rigori: cum & illud tritum hinc suam mereatur sedem: summum jus, summa injuria. Favet itaque æquitas nobilioribus, non in nobilitatis tantum gratiam, sed in meritorum cum primis, si quæ sunt, remunerationem, & ad egregia facta præstanda excitationem. Denique leges in poenarum impositione personas distinguunt per accidens, prout ex personæ conditione, vel de peccati, vel poenæ quantitate judicari debet. Ergò justitia commutativa non attendit dignitatem personarum eo modo, quo distributi-

va nim. per se & propter se, sed tantum per accidens, tantum ut delicti & poenae magnitudo rectius intelligatur, executionem a delicti & poenae per se considerat.

VIII. Fufus hæc deducit *Thomas l. cit. qv. 61. art. 2. ad ultim.* inquit: *Conditio personæ in distributivâ justitiâ attenditur secundum se, in commutativâ, secundum quod diversificatur, res.* Et ibi Cajetanus: *Commutativâ justitiâ non attendit conditionem personæ, quam cujuscunq; alterius circumstantiæ conditione, adæquare uni rei rem alteram absolute querit: distributivâ verò, in constituendo æqualitatis formam conditiones personarum assumit, quasi mensuras æqualitatis rerû &c.* Consideratio prima est ad materiam, scil. ad quantitatem rei, ista v. ad adæquationis formam.


IX. Ex ratione v. adversæ sententiæ Patroni colligunt in sequentem modum: Aut proportio Geometrica habet locum in poenis infligendis, aut Arithmetica: Non Arithmetica, aliàs leges, quæ de poenis latæ sunt, subverterentur omnes, quia infinita locorum, temporum, personarum, varietas causarum dissimilitudinem judiciis semper est allatura: perpetua quoq; poenarum æqualitas ex rationibus Arithmeticis tam est iniqua, quàm si medici omnibus morbis unâ medicinâ facere velint. *Vid. Bod. l. 6. de Rep. p. 118.* Ergo proportio Geometrica in poenis infligendis obtinet. Hinc ita si iudex in poenis fontibus irrogandis proportionem Geometricam observare debet, oportet illum esse *ωρεωπολήπτω*, quia in proportione Geometrica non ad rem, sed ad personam respectus habetur. At prius est verum. Ergo & postterius. Verum rationes pro arithmetica infringenda tantæ non sunt, ut eam subvertere valeant; Rerum circumstantias attendere, minime ea prohibet, quin potius injungat. Non omnis personæ acceptatio rejicitur, sed quæ extrinseca tantum, & primario rem ingreditur. Nulla æqualitas poenarum in diversis hinc delictis speranda, sed actiones diversæ diversas reddunt poenas, ut diversi morbi diversa postulant remedia.

X. Præ-

X. Præter hæc autoritatem Aristotelis nobis opponunt, quam tamen nostræ potius adjungimus parti, eumque contradictionis insimulant, notantibus *Averroë & Thomâ*. Verba pro diversâ parte facientia hæc sunt: plurimum interest, an Magistratus quempiam percutiat, an alius? item num Magistratum quis percutiat, num verò privatum hominem. *V. Ethic. e 5. th. 45.* Alibi verò forte dixerat *5. Ethic. 4.* justitiam commutativam respicere tantum differentiam nocuenti, nec personam, sed personis uti ut æqualibus. Apertissimè illa inter se collata contradictionem involvere videntur. Sed res salva est; Aristoteles in loco prius citato personas tantum in pœnarum inflictione distingvit, nimirum per accidens, & ex consequenti, scil. quatenus ex personæ conditione vel delictum vel pœnæ quantitas æstimari potest. Consistit n. ut omnis virtus alia, in mediocritate eâ, quæ ad nos est. Hæc autem nulla esse potest, nisi inter alias circumstantias personam quoque spectet. In posteriori v. loco verissimè personis ut æqualibus uti asserit, scil. primò & per se, id n. agit commutativa unice, ut pœnam delicto adæquet, & medium inter plus & minus observetur.

XI. Plura qui contradicentium nobis ratiocinia intelligere gestiât, adeat nominatissimos illos Ethicos *Conimbricenses disp. 9. quest. 1. art. 2.* qui eadè de ratione distributivâ justitiam in retributivam & punitivam distingvunt. *Golium 5. Ethic. c 5. Magirum c. 4. & 5. Heilandum c. 3. Sebast. Foxium compend. Ethic: Philosoph. lib. 3. cap. 12. Alstedium Encyclop. lib. XXI. Ethic. c. 2. aliosq.* Experientiam denique omnium rerum Magistratum potissimum nobis in contrarium sistunt, quæ nobiles, benè meritos, omnesque adeò digniores mitius puniri, ac ignobiles projectæque conditionis homines, apertè loquitur. Salvane igitur etiamnum commutativa manebit justitia? Contrahitur quasi jam totum negotium, & in specialiora abit momenta, quæ specialio rem quoque & luculentio rem in sequentibus sibi vendicant sedem.

CAPVT II.



CAPIT SECUNDUM.

SECTIO I.

DE JUSTITIÆ COMMUTATIVE MEDIOCRITATE.

§. I.



Nil affine adeo, virtutique propius mediocritate. Institue in animo virtutem, & ipsam capies mediocritatem. Hanc qui tollit, virtutem simul evertit, & suam privat formam, cum illa verè nata sit ad universam informandam virtutum coronam. Neque eas ingreditur tantum mediocritas, quæ inter duo interjacent extrema, sed illas æquè, quibus unum adversari videtur. Justitia, virtutum facile princeps, injustitiam habet oppositam, nec minus mediocritatem facit suam, cum in unico opposito duo deficientia sentiat, quibus medio occurrendum est.

II. Non datur in presenti copia edifferendi de universali illa justitiâ, quæ cum singularum virtutum dimicant extrema, de particulari solum non nihil verborum facere institui semel, quæ mediocritatis adeo induit naturam, ut injustus habeatur merito, qui alteri nimium tribuit, alteri demit. In quam rem graviter satis Philosophus *1.5. Nic. c. 3. & 1. I. Mag. Mor. c. 34.* qui injustè agit, eò ipso, quod injustè agit, plus habet, quam oportet. Et qui injuriâ afficitur, eo ipso, quo injuriam patitur, minus; quod autem in horum medio est, id justum est atq; medium æquale est. Ergo æquale pluris & paucioris fuerit justum, justusq; qui per æquale volet.

III. San-

III. Sanctâ itaqve cum cæteris justitia incedit viâ, mediocritatis ubiqve observantissima; sed num rei, an personæ, disquiritur, & altioris verè indaginis est problema. In aprico aliàs est ex communi Ethicorum consensu, virtutem in genere spectatam non tam medium rei, seu absolutè mediocre recipere, quàm rationis, & respectu nostri ita dictum, eò quòd ratio maximè hoc determinet, ex proportionem Geometricâ uni extremorum vicinior sit, alteri remotior, adeoque omninò se applicet circumstantiis, in quibus omnis virtuosè actionis vis versatur: illud ex adverso simpliciter inter excessum & defectum interjaceat, non habito adeò personarum respectu, quin potius juxta proportionem Arithmeticam ab utroque extremo distet æqualiter, & simplicem rerum attendat æqualitatem. Eadem verò Virtus non æqualia usq; tribuit æqualibus, sed occurrentium admissio circumstantiarum regimine, in medium nititur.

IV. Eam v. largiri justitiæ indolem, adeò necesse habemus, ac eam statuere virtutem. Communis quippe forma, mediocritas illa est, nulla ab hâc segreganda virtutum, nulla excludenda. Et tamdiu res omnis in vado, quamdiu in distributivâ consistimus justitiâ; Ad commutativam verò cum deventum tandem, in ancipiti positum esse videtur, num ad communem illam virtutum formam admittenda ea sit? Potissimum Philosopho, *l. 5. Eth. Nic. c. 4. Piccolom. Gr. 4. c. 6.* Keckerm. *l. 2. syst. Eth. c. 5.* Hornæo, aliisque Ethicis Clarissimis in univsum asserentibus, commutativam hanc non personæ, sed rei observare medium, Nosque ipsimet immutati videremur, & alieni à nobis, concessuri in contrarium. Ergone suam ponet hâc ratione dignitatem commutativa, cæteris adeò dissimilis?

V. Scilicet id in choro virtutum magnus Stagira Alumnus justitiam esse prædicat, quod inter pulcherrimos illos, qui subterlabuntur cælo ignes, candidissima hesperi atque luciferi sidera sunt. Lucet proin nostra luce nativâ & communi, lucet & propriâ ac speciali. Omnes virtutes medio gaudent

dent rationis, & justitia æquè cum suis speciebus; recipit nihilominus commutativa in suum ambitum medium rei. Diversitatis ratio, quâ à cæteris discedit ipsa, in propatulo est. Omnis quippe in universum virtus medium obtinet, inter duas actiones contrarias, quarum altera mediocritatem transgreditur deficiendo, altera excedendo; at justitia inter illa versatur extrema, quorum utrumque in unâ consistit actione: Et ea sunt plus & minus. Sic defraudans alterum unâ actione modum simul excedit, & deficit, plus sumendo, quam par est, minusque relinquendo alteri. Ac tale quid in cæteris virtutibus non deprehendes facile; Exemplum nobis loco omnium esto in fortitudine: qui omnia temerè audet, excessum, qui nihil, defectum committit, utrumque tamen in unâ actione constare nequit. Quâ de re duo etiam hîc emergunt vitia, ex duâbus diversissimis actionibus; in justitiâ verò, unum modò, injustitiam puta utrumque includentem extremum, deprehendere licet.

VI. Introducendum proin hic medium aliquod, non commune tantum, sed proprium insimul, naturæ justitiæ conveniens quâ maximè, eiq; proportionatum. Suâ gaudet justitia actione diversâ, suis objectis inter se distinctis, suâ deniq; forma. Totum hoc momentum diversa conficit ratio debiti, distributionem segregans à commutatione; proportio verò, quæ utrobique observatur, distributione & commutatione naturâ posterior est. Audi fusius hæc deducentem Sot. l. 3. q. 5. art. 1. *Justitia munus est, debitum unicuique reddere; Est autem diversa ratio debiti in distributiva ab illâ, quæ est in commutativâ. E. virtutes ipsæ specie differunt. Minor patet. Dupliciter aliqua res dicitur hominis, uno modo simpliciter, quia propria ejus possessio; altera verò secundum quid, ut ajunt; quia sc. non est sua propria, nisi quatenus est totius, cujus homo est pars: Etenim, quæ sunt totius, quodammodo sunt partium, & ex his nascitur diversa ratio debiti: alia quippe ratio est, quia res propriè erit creditoris, alia verò, quia erit totius Reipub. Et iterum in resp. ad 2. perscrutamur differentiam illam, tum ex ordine diverso, tum ex diversâ ratione debiti, quia*

*commutativa reddit id, quod est simpliciter, debitum, distributiva
verò id, quod est quodammodo debitum.*

VII. Manet itaque propria mediocritas rationis justitiae distributivae, cum quodcunque justum & aequum est, conferat civibus in Repub. Justitiae v. commutativae mediocritas rei, cum quantum cuique debetur, ne ullus inter commutantes plus boni aut minus mali habeat, conferat privatis. Utraque tamen harum virtutum formam quasi informatur communi, mediocritate sc. rationis, diverso licet modo. Neque enim adeo commutativa dignitatem attendit personarum, ut distributiva, quae simpliciter & absolute tali nititur medio. Quin potius illa longè majorem rerum habeat curam, ac personarum. Causa enim, propter quam civibus de bono communi praemia tribuuntur est dignitas, quam in civitate quilibet obtinet: Sic quod uni plus, alteri minus in Distributione conveniat, causa est, quod unus dignitate superet alterum. Aliter autem in poenis irrogandis res sese habet. Non enim propterea aliquis punitur, quod in dignitate vel extra eam est constitutus, sed quod peccavit. Neque cum aliquis punitur graviter, causa est, quod magna vel exigua sit ejus dignitas, sed quod grave commiserit delictum.

VIII. Hinc per accidens esse dicimus, quod in irrogandis poenis personarum conditio & dignitas spectetur, quia ea non secundum se, sed tantum secundum aliud ibi spectatur, quatenus sc. delicti poenae aestimatio inde dependet. Conf. Musæg in Disp. de just. par. Nobiscum facit Thomas inquires: 2.2. quest. 61. conditio personae in distributivâ justitia attenditur secundum se; In commutativâ autem, secundum quod per hoc diversificatur res. Et Nic. Dorb. 5. Eth. c. 3. Conditio personae in justitiâ distributivâ attenditur secundum se, in commutativâ autem non secundum se, sed secundum hoc, quod per hujusmodi diversificatur res. Quia in Actionibus & Passionibus conditio personae facit ad aequalitatem rei. Cõcurrit ergo conditio personae, nõ per se & immediate ad ipsam aequalitatem, sed tm. per se ad rerum, quae inter se debent exaequari, mensuram, & sic ad ipsam aequalitatem.

por

per accidens & saltem remotè. Quocircà in definiendis æ-
què pœnis studiosa potissimum est commutativa, cum lucro
damnum ut æquet, cum peccato pœnam, & accurata satis ubi-
que ut intercedat æqualitas.

SECTIO II. DE ÆQUALITATE ACTIO- NUM INJUSTARUM.

§. I. Æqualitas dixi, quàm tamen exempla legibus
consentanea infringere videntur, cum mitius longè puniantur
nobiles ac ignobiles, benè meriti ac scelerati, liberi ac servi.
Hic nervus, hinc summa totius rei, & fundamentum adeò, quod
nisi jeceris ritè, què superstruxeris, non minabuntur ruinam
modò, sed tandem & penitus corruent. Salva res est, si æquali-
tas peccati & pœnæ examinetur probè ac evolvatur. Illud
verò potissimum æquale censetur peccatum, ubi, quæ moralem
constituunt actionem, æqualiter concurrunt omnia, quæ
quidem ab Aristot. 3. Eth. c. 1. enumerantur.

II. Non animo sedet in præsentì, singula hæc revocare
capita & excutere dignè: dicendorum obrueret ubertate, &
amplitudo horum nostram longè transgrederetur institutum.
Neque tamen fallerem adeò, sive personas delinquentes, sive de-
lictum ipsum, sive concomitantes ejus circumstantias si respi-
cerem, recta què reputarem viâ. Inæquales sanè hinc sese of-
ferunt personæ, quarum quædam potestate gaudent eminenti,
& inde quicquid libet, sibi licere persuasum habent: de quibus
tamen aliis in minori gradu constitutis exempla haut temerè
sumenda sunt, cum impunitas non utrobique æqua fiet. Quin
potius illud Terentiani quàm optimè hinc quadrat, quod *Act. 5. sc. 3.*
Adelph. habetur: *Duo cū idē faciunt, sæpe possis dicere, hoc licet im-
punè facere huic, illi nō licet: Nō quod dissimilis res sit, sed quod qui
facit. Illi potius ad hunc censū in universū omnes referēdi sunt,*

qui subjacent legibus divinis æquè ac humanis, rectoqve rationis judicio pollent. Neque enim de pueris, furiosis, mutis atqve surdis cæterisqve ratione destitutis idem ferendum est judicium, sed inæqualitas delicti, inæqualitatem pœnæ parit, de facili.

III. Nec musitanda hîc momenta reliqua, locum tempusqve concernentia, & delictum adeò pro re natâ vel extenuantia, vel elevantia; quæ Poëta tali reddidit carmine:

*Aggravat ordo, locus peccata, scientia, tempus
Ætas, conditio, numerus, mora, copia, causa,
Est modus in culpa, status altus, lucta pusilla.*

Longè enim atrocius est flagitium, majoriqve proin pœnâ dignum committere sacrilegium, quàm perpetrare furtum. Et qui nefando quodam scelere sacra commaculat festa, nã ille gravius peccat, ac aliis profanis diebus. Cæteras circumstantias eò faciliori præterimus animo, quò prolixior sibi vendicant evolutionem.

IV. Quamvis itaq; plurimum largiamur momentis recensitis, omnium tamen maximum in actione & fine, qui arguit *de gâpe* situm esse, judicamus, ubi quis res in suâ potestate positas, ex deliberato consilio appetit & perficit. Quod bonum sæpe est ex objecto, idem malum est ex fine, & quod bonum, ex utroqve, malum nonnunquam est propter solam circumstantiam, ait *Cl. Hornejus l. 2. c. 7. de bonit. & malit. mor. p. 256.* Animus itaq; & propositum distingvit maleficia, & non rei adeò effectus, sed efficientis affectus in crimine est attendendus, nec quæ fiunt, sed quo animo fiant, æquitas pensat, edifferente *Heloisia ad Abellardum.* Quicquid enim consultò & de industria factum est, majorem movet indignationem, censente *Cicero.* Unde ipse *Aristot. 7. Ethic. c. 6.* iram præfert cupiditati, quia hæc magis insidiatur ac eò ipso evadit injustior: Et incontinentem miriùs delinquere censet, quàm intemperantem, eò quod non sit insidiator, nec mente agat deliberatâ, *c. 9.*

V. Quâ

V. Quâ de re nonnunquam magna scelera levius, quàm
minora compescuntur, si illa lapsu, non crudelitate commissa
sunt: His inest latens & operta & inveterata calliditas. Idem
delictum in duobus non eodem afficit modo, si alter per negli-
gentiam commisit, alter curavit, ut nocens esset. Sen. *2. de irac.*
ult. Et Romani in omni supplicio severius famosos, quàm inte-
græ famæ homines puniverunt: Rationem assignat Callistra-
tus hanc; quia aliquoties apprehensi, tractati clementius in
eâdem temeritate propositi perseverârunt. Tantò quippe
peccata censentur graviora, quantò diutius infelicem animam
detinuerunt illigatam. Philippus VI. Gallorum Rex simili
modo auget pœnam blasphemii. Et Carolus V. furti, prout
duplicantur sæpiusque iterantur peccata. Nam etiam fur-
ta unius ovis propter frequentiam actuum abigeatus pœnâ
persequuntur leges. Ut taceam de Carolo M., qui veniam
Saxonibus indulgens sæpius, ipsorum rebellandi finem minimè
facientium 4500. uno supplicio super ponte Allaris decollari
jussit. *Gell. in Carl. M.* Nec non Otto Magnus, Romanos impuni-
tate abutentes, ac in Imperatorios Pontifices sævire non desi-
stentes, ad suspendium damnavit. *Sigon. 7. Hist. Ital.* Ad eò insa-
nabilibus ingeniis extrema remedia adhibenda sunt, ut cum
Tullo ad Metiam eloquar. *Liv. l. i.*

VI. Mitius itaqve omnino plectuntur delicta prima
quàm sæpius iterata, & nimium frequentata, juxta illud no-
tum adagium: *συγγώμην τὰς ἀπορῶν ἀμαρτήνωντι.* Et ille a-
pud Terentium deprecatur in Eunuchis. *Unam hanc noxam
mitte; si iterum admiserit, occidito.* Remissionem quippe veniæ
crimina nisi semel commissa habeant, inveniunt *Impp.* At hoc e-
vertere videtur proportionem Arithmeticam, cum hæc ratione
maximè respectus habeatur personarum; Verum ex antece-
dentibus jamdum liquet oppidò, non omnes circumstantias è
personæ respectu promanantes à commutativâ segregandas,
quin potius, cum virtutis habeat naturam, eodem sibi illas ven-
dicat jure, quo virtutes aliæ. Insuper inæqualitas ista pœna-
rum non suboritur ex intuitu personæ peccantis, sed respectu
diver-

Diversa actionis. Alia quippe actio est ex lapsu procedens & errore, & alia ex confirmato habitu, ac ad maleficia obdurato. Ex diverso itaque agendi principio diversa surgunt actiones, & ex his diversa poenarum arbitria.

VII. Nec minori cura tractanda hinc ignorantia est, quæ extinguit *αγαπῶν*, & immunem reddet animum à vitioso proposito peccandi, sine quo aliàs peccatum non subsistit. Ignoranti enim nulla cupido, & nemo dixisse, multò minus voluisse putandus est, quod non mente agitaverit, Celsus; Illa verò, quæ ignorantur, fundata potissimum sunt, vel in jure Divino vel Naturali vel Humano atque Civili. Illorum priorum ignorantia excusari non potest in adultis rationis usu valentibus. Quare nec mulieres, Bacchanalibus sacris initiatæ per ignorantiam sese à rigore supplicii eripere poterant, quia facile scire debuissent, incestibus DELUM nullum delectari. Valer. l. 6. c. 3. Neque Moabitæ, Cananæi, Amorrhæi bonâ fide arma ceperunt, contra Judæos, quos scire debuissent ex multitudine miraculorum & Balaami responso, à Domino terrarum duci in destinatas possessiones, prout meretrix Hierichuntuna, *Jos. 2.* fatetur.

VIII. Præcepta v. illa naturæ adeò evidentia sunt, ut nec ignorari, aut ex animo deleri possint, nisi ipsi naturæ vim feceris manifestam. In nonnullis quidem Rebus publ. & gentibus aliqua fuerunt licita, quæ disertè cum præceptis pugnarunt, uti apud Lacedæmonios furta & adulteria, apud Locrenses Ozolos, Ætolos, & Acarnanes prædationes. *Plutarch. in Lycurg. Xenoph. de Repub. Laced. Thucyd. l. 2.* Sed ideò tamen ignorantia talium rerum invita non est, aut excusationem meretur. Ita n. ignorare non potuerunt, foeda illa & turpia esse, ut non aliqua notitia remanserit, vel si reliqua nulla erat, suâ culpâ & amore peccandi ipsi eam extinxerunt, quod fieri posse, testatur Aristoteles *6. Ethic. c. 5.*

IX. Juris verò humani non est eadem planè cum superioribus ratio. Quibus enim consuetudines loci & leges prorsus incognitæ sunt, excusantur meritò. Quare Livius l. 31. in-

veh-

vehitur in Athenienses, eò quod, præter bonum & æquum, Acarnanes duos juvenes, per errorem templum Cereris per-
initiorum dies non initiatos, imprudentiâ religionis ingres-
sos, tanquam infando sceleri obnoxios trucidaverint. Et
Svetonius in Calig. c. 41. Caji Tyrannidi meritò ascribit,
quod vectigalia multa indixerit, nec proposuerit, ut peri-
gnorantiam scripturæ multa commissa fierent: cumque legem
tandem extorsissent importunæ preces populi, minutissimis
literis & angustissimo loco proposuerit, ut ne cui describere
liceret. Quid, quod indultum esse in certis casibus, jus igno-
rare militibus, foeminis, rusticis, & in universum, qui annis 25.
minores sunt, perhibeatur.

10. Speciale verò id est, nec ad totam amplitudinem ju-
ris humani trahendum; potius leges, quæ constringunt homi-
num vitas, intelligi ab omnibus debent, & ignorantia crassa,
& supina, ipso Aristotele judice, 3. *Ethic. c. 1.* tantum abest, ut
excuset, ut de ignorantis dolo manifestam præbeat conjectu-
ram. Hinc potiùs accusat in exteriori foro, nec in foro con-
scientiæ excusat adeò, si diligentiam debitam quis non adhi-
buerit, maximè quatenus leges illæ ad cujusque statum propriè
pertinent. *Vasquez. Disp. 124. c. 2.* Adeò qui quæ scire potuit, &
nescit, in latâ culpâ est. Quæ tamen intelligas velim de lege
promulgatâ, communiter recepta, nec non de jure communi
præcipuè, sive cujus explicatio obvia est, non obstruso atque
intricato. Conf. in hanc rem sæpius laudatus Horn. *l. 3. c. 4. de
princ. act. hum. p. 344-345. & 346.* Et hæc enumerata complecti-
tur omnia ignorantia juris seu universalis, quæ neminem ex-
cusat, quia *αἰσθησις* non obfuscat, probabilem tamen miti-
gationis prætextum inducit, quatenus ex eâ nascitur ignorantia
facti, non quòd facti species ignoretur, sed quòd ejus qualitas,
in quâ injuria consistit. Qui enim justè se agere putat cum sit
liber à dolo, qui pullulat ex proposito injuriam inferendi, fa-
ctum suum quodammodò ignorat quoad hanc qualitatem,
quod injuriam se facturum minimè credit. Caterum igno-

B

D

rantia

tantia facti seu particularis excusat eò facilius, quò magis ignoramus circumstantias, in quibus totius actionis vis præcipue consistit. Sic Oedipus matri se commiscens, quam non putarat, excusatur à pœnâ incestus, non tamen à pœnâ adulterii, quod se commissurum non ignorabat. Qui gladium strinxit in Cajum & ex ignorantia personæ incidit in Sejum, ab homicidio impunis dimitti nequit, quia ignorantia personæ non inducit argumentum aliquod excusationis, cum homicida habuerit animum occidendi hominem, cujus cædem leges puniunt.

11. Quâ re de jure pœna cuidam minuitur, qui *de γαπέσει* destitutus fuit. Neque factum per omne est idem, si improbus peccet, & quem vitæ integritas sceleris pura spectatum hactenus reddidit, quiqve per omnes virtutes vitam traduxit, & postea in scelus aliquod imprudens se conjecit: Quemadmodum excusationem exorditur Apulejus 3. Metam. quod ne tantillo quidem crimine unquam postularus, sed probè spectatq apud suos insuper innocentia commodis cunctis ante rulerit. Id quod Oratores quoqve in proponendis locis deprecationis notârunt, ad quam plurimum valere dicit Quintilianus hæc tria 7. *Inst.* in vitâ præcedenti si innocens, si benè meritus, si spes in futurum innocenter victuri & Reipub. usui futuri. Et Cic. 1. *ad Her.* deprecari non possumus, nisi quando pro eo dicimus, cujus multa recta esse constat.

12. Ratio verò potissima hujus mitigationis posita est in præsumptione animi dolo vacui. Qui enim semel malus, semper præsumitur talis; & spectantur, juxta Quintil. 5. *Inst. c. 10.* ante dicta factaqve & ex præteritis æstimantur præsentia; ubi enim quis semel pejeravit, ei credi postea, etiamsi per plures Deos juret, non oportere, ait Cic. *pro Rabir.* Et Tiribazus ad Darium: qui semel fraudem legi fecit, illi impune fides non habetur, quod pacta rata sit servaturus. Plutarchus in Artox. Uti verò de malis mala præsumere licet, ita de bonis bona. Ubi ergo constat de *de γαπέσει*, nulla est prærogativa alicujus delin-

linquentis in dignitate positi; Ast si non adeò liquido constaret de eâ, factum ex imbecillitate aliquâ humanâ perpetratum esse qui judicabit, non alienus adeò à justitiæ tramite foret. Quicquid n. rarò quis fecit, id magis ex imbecillitate aliquâ humanâ, quam ex proæresi factum esse censetur; cum contrâ de proæresi conjectura certissima sit, si quid quis sæpe & iteratò commiserit.

SECTIO III.

DE ÆQUALITATE PŒNARUM.

§. I.

His itaque ritè positis, descendendum nobis est in æqualitatem pœnarum, & justitiæ correctricem æqvitatem. Tum demum verò commutationes habentur justæ, vel ad justitiam & æqvitatem, à quâ abeunt, reductæ, cum neuter aut nullus inter commutantes plus boni aut minus mali habet, quam habere meritò debebat. Inde in voluntariis commutationibus justè tum agitur, quando ita quis cum altero commutat, ut neuter eorum lucrum aut damnum habeat; in invitis v. cum lucrum aut damnum, quod aderat, tollitur.

2. Unde igitur justa pœnarum æqvalitas petenda erit? Duplici hujus loci æqvalitas accipi potest: primò pro identitate rerum secundum speciem, qvallis juxtà Pythagoreos est inter delictum & pœnam, cum idem specie quis patitur, quod egit v. g. qui alium percussit, repercutitur, qui oculum alteri eruit, oculo privatur, ut colligitur ex Aristotele L. V. Nic. c. V. Dein pro identitate proportionis, qvallis juxta Aristotelè est inter delictum & pœnam, cum in proportione tantum quis luit, quantum deliquit, quamvis pœna & delictum non ejusdem.

B 2

finē

sint speciei v.g. qui alterum percussit, æquale pati cõsetur, si multã
pendat, quanta quidẽ in proportione ad delicti exæquationẽ sa-
tis est. Non igitur ex specie & modo pœnarũ, sed ex damno quod
inde incutitur, non ex quantitate usq; illarũ, sed qualitate magẽ
æstimãda erit æqualitas, quoniã tãtũ damni ex iustitiã infligẽdũ
reõ, quantũ perpeffus est læsus, ut docet Arist. 5. Eth. 4. quisquis n.
afficitur pœnã, malo se affectum esse, non dubitat, ait Boet. l. 4.
cons. prof. 2. si quis v. malo non afficiatur, ne quidem pœnã
affectus putandõ est, quemadmodũ illi, qui integris patrimoniis
exulabant, s. liberẽ per delitiosissimas quasq; provincias vaga-
bantur apud Romanos. Svetom. in Cæs. c. 42.

3. Liceat nobis in præsentĩ in majorem rei declarationem
per nonnulla ire exempla; Primaria facilẽ crimina habentur,
furtum, falsum testimonium, proditio, adulterium, crimen
Majestatis, & quæ plura sunt ejusdem commatis. Sic si statutum
quoddam ponatur, ut qui de templo aliquid tulerit, deportan-
dus sit in insulam: homo si sit vagus, peregrinus, qui res suas
domi decoxerit, aut improbã torqveatur uxore, is non adẽ
abhorrebit ab exilio, quin potius ultrõ illud capeffet, ad exẽplũ
Galliũ, quem ex Lesbo insulã revocatum, Romani damnãruat
in ædes privatas, juxta uxorem, quam fugiebat. Itaqve
gravior potius pœna his decernenda erit. Eodem modõ si
lex sancita sit, pejeranti manum dextram amputandam: com-
mittat aliquis in legem, qui non habeat nisi manum sinistram,
iniqum foret illi sinistram amputare manum, quia perindẽ
hoc esset, ac si utraqve manus abscinderetur. Et oculo
privare longẽ sine dubio gravius malum est unoculo, quam ei
qui ambos habet oculos, quod ille isto pacto planẽ excœctetur,
hic ex parte tantum. Certẽ æquali pœnã utrumqve non af-
feceris, si utriqve oculum erueris, etsi una & eadem pœna esse
videatur. Hinc Locrenses lege utrumq; oculum jure talionis
eripiendum illi censuerunt, qui monoculo unum oculum
exsculpsisset. Damnam enim spectare debuit lex, non speciem
sup-

supplicii, sicut Alberic. Maynerus, aliiqve senes mitius torquendos & pœnis corporis, nisi capitalibus, lenioribus affligendos putant propter imbecillitatem corporis. Quod ad mulieres recens fœtas & pueros corpore imbecilles ac ægrotos etiam transferri possit, quia æquales pœnæ diversis corporibus æquale damnum non inferunt, & fustigatio, quam illaeso tergo ad fustes obduratus latro sustineret, puerum decrepitumve senem ad mortem diduceret.

4. Personarum itaqve diversam videtur posse vel velle accipere medicinam. Ob unum idemqve crimen Episcopus tribus mensibus, Presbiter duobus à communione suspenditur, Diaconus v. in universum removetur, eò quod æque gravis sit suspensio in Episcopo & Presbytero, quam remotio in Diacono propter scandalum, & quia ignominia magis percelluntur. Sic fustigari melior pœna est servo aut perduto alicui nebuloni, quam capite plecti, ingenuo verò & nobili etiam major. Servus enim flagris assuetus, cui fustes sunt pro cibo, pluribus verberibus in simili facinore excipitur, a loco fustium gravius tractatur; contra v. actio famosa non datur in eum, qui dignitate excellit, nisi atrocitas reatus a. criminis confessio s. convictio dignitatem extingvit: Viri n. illustres plus in dedecore situm putant, quam dolore, pronuntiante Cicerone.

5. Unde fit, ut nobilis, cum pœnâ afficitur, nonnunquam mitiori in speciem, æquè tamen graviter plectatur reipsâ, atque alius quispiam, cui major, ut videtur, pœna decreta est, cum etiam una circumstantia, efficere possit, ut una aliàs & eadem pœna duplo major sit, quando uni infligitur, atq; est, cum infligitur alteri.

Ratio

Ratio quæ moveat, momentumque hoc conficiat, illa datur de facili, quia, quò plura sunt in aliquo bona, quorum privatio cum poenâ conjungitur, eò majus fit malum. Eò referri potest, quod Aristot. I. M. c. 34. rectè infert, iis nimirum, qui in Repub. minus quidem pecuniæ consequuntur, ita tamen, ut in illius vicem accipiant aut honorem, aut laudem, aut gloriam aut amicitiam, aut aliud genus, non fieri injuriam, eò quòd in vicem ejus, quod amittunt, aliud quid receperint; cujus intuitu æquale habeant. Eadem quoque præsens poenarum ratio est. Qui enim poenam sustinet, quæ in se spectata levior est poenâ alterius, ut tamen loco ejus, quod deest, alio malo afficiatur, æquale sustinere censetur, & neutra poena alterâ vel etiam delicto gravior aut levior, sed æqualis utraqve.

6. Sint duæ personæ sacrilegium committentes, in libertate æquales, sed in dignitate vel nobilitate inæquales: Damnetur ignobilis in metallum, nobilis deportetur in Insulam; Hic poenâ minori afficitur, quia non est cum vinculis & amissione libertatis conjuncta, & amissionem tantum civitatis importat. Ille graviolem sustinet poenam, quia non tantum civitatem, sed & libertatem amittit. Damnatio itaque in metallum ignobili est justa poena & delicto æqualis, nobili erit injusta & inæqualis. Hic enim & civitatem, & libertatem & nobilitatem amitteret, ille contra civitatem tantum & libertatem. E. quod in deportatione in insulam deest, quo minus alteri, poena scilicet metalli æqualis sit, id supplet cæterorum bonorum ut nobilitatis, divitiarum aliorumque amissio.

7. Neque adeò nostræ sententiæ obstat, in decretis judiciariis voculas illas *mitius, gravius, severius*, adhiberi, quæ nil nisi personarum conditionem inferre, & Arithmeticæ proportioni repugnare videtur. Si n. leges extra
casum

casum specialis alicujus indulgentiæ, quæ ad justitiam non pertinet, de eodem & æquò gravi delicto vobis illas adhibeant, id non est accipiendum de comparatione pœnæ ad delictum, ac si pœna omnibus, quæ ei conjuncta sunt, consideratis, delicto levior vel gravior esse debeat, sic enim pœna foret injusta; sed de comparatione unius speciei ad alteram speciem pœnæ. Sic mitior quidem videtur species pœnæ, deportatio in insulam, quam damnatio in metallum, æquè tamen gravis est pœna nobili illa deportatio, quam ignobili pœna metalli. Conf. nunquam non satis laudatus Horn. *d.l.* & Arnisaus. in disputatione de proport. arithm. in pœnis irrogandis, ubi accuratè satis totam rem persequitur.

8. Ut silentio in præsentibus præteream, pro re nata & necessitate mox augeri, mox minui factorum æquilibrium pœnas. Id quod maximè exemplo furti diduci potest. Illud apud Lacedæmonias & Ægyptios nisi inscitè peractum, non plectebatur. *Plut. in Lyc. Isocr. in Panath. Xenoph. de Rep. Spart. Diod. Sic. l. 2.* Imò Rex Ægyptius, si vera fabula est, subtili furi filiam elocavit, *Herod. l. 2.* Et Germanis quoque commendata fuere latrocinia, quæ vel Aristot. inter modos acqvirendi, reponit. *Pol. c. 5.* Romani manifestum furtum simplex duplo, *Cat. l. 1. de R. R. c. 1.* conceptum & oblatum triplo, manifestum quadruplo multarunt *Gel. l. 11. c. 18.* Et novo jure pro furto nec moriebatur quisquam, nec aliquod membrum abscindebatur, sed aliter castigabatur. Sed nunc capitaliter puniuntur furta, non quod delictum usque sit, sed quod aliter in tantâ malitiâ sua quisque tuta habere non possit. Augetur quippe merita à delicto pœna frequente, adeò, ut in hanc rem optimè quadret illud dicitur commune: Crescentibus delictis, crescunt pœnæ.

9. Quæ

9. Quâ de causâ Pescennius Niger 10. commanipulones ad mortem destinârat, ob raptum unius galli, quod militû aliâs ferocia cōpesci non poterat. Ælian. Spart. in Pescen. Nec nō Sclavoni & Carinthi furibus erāt inexorabiles, imò suspicionem de aliquo quoque puniebant. Ortel. in descript. Sclav. & Car. & Boterus testatur, Magnum Chamum indiscretim omnes fures dissecare, quamvis Sigismund. Baro in Tart. Tartaros, Casanos & Præcopitas simplici restitutione contentos memoret. Eâdem motus ratione Randolphus, Prorex Scotiae, in furta operum rusticorum severissimè advertit, quia si absq; eâ pœnâ fuisset, nunquã alia tuta esse potuissent, Buchan. l. 9. Quæ exempla universa probant luculenter, non posse semper peccatis certa supplicia præfiri, sed pro ratione loci, temporis, aliarumq; circumstantiarum ex æquitate nunc intendenda ea, nunc remittenda.

10. Quod si jam damnum & lucrum spectandum, ex inopiâ & æstimatione perpeffi, docete Arist. 5. Ethic. c. 5. 9. Ethic. c. 1. constat, perpetuâ æqualitate pœnarum & multarum nihil esse iniquius, quia non procedunt secundum proportionem arithmetica, quæ equalia damna pro æqualibus factis præscribit. Itaq; Caroli IX. Gallorum Regis, leges sumtuarias propter pœnarum in omnes civium ordines æqualitatem meritò rejicit, CL. Arnisaus d. l. & Philippi Belli de eâdem re, aut Platonis 6. de ll. in calibes, tanquam proportioni arithmeticæ conformes, probat, nosq; merito & ex æquo prudenti ejus subscribimus calculo. Adeoq; in justâ adæquatione delicti & pœnæ verè consistit JUSTITIA COMMUTATIVA.

CAP. III



CAPUT III.

SECTIO I.
DE ADÆQVATO IRROGAN-
DARUM POENARUM SUBJECTO.

§. I.

Altius prorumpit & in lætis-
simos quosque exurgit ortus virtus,
inflammata præmiis. Post hominum
quippe genus natum pauci reperti
sunt, qui nullis præmiis propositis,
animam patriæ consecrare voluerint:
aut virtus nomen inane est, aut decus,
& pretium rectè petit experiens Vir,
fatur ipse Eloquentiæ Princeps *Cicero*. Nec minus fove-
tur malitia sine poenis, & vitiorum virus longè lateque ser-
pit, nî opponantur statim, quæ viam intercludant, & repa-
gula firma ponant, majora sumpturo spatia, in corpus to-
tius adeò Republicæ. Rectè itaque ad arbitrium Solonis
inferendum est, præmiis & poenis contineri Respublicas. Ni-
si enim præmiis inflammentur boni, segniores evadunt,
nisi suppliciis deterreantur mali, audaciores & ad majora
perpetranda scelera faciliores. Hinc augetur malitia, il-
linc evilescit virtus.

II. Et illa quidem largitur præmia virtus, quæ cum singula-
ri quodâ splendore, ac nobilitatis excellentiâ conjuncta sunt.
Cum n. nil nisi magna subeant virtutis alumni, anteponendi
sunt cæteris meritò, majorique evehendi laude. Arduum
quippe & sacrum ferè est virtutis nomen, quò pertingere,
E & factis

& factis heroicis illustrari, non cuius patet accessus; sive n. prudentiam administrandi Rempublicam, sive notitiam gerendi feliciter bellum spectes, utrobique occurret, quod generosum referet animum, & ad quasvis res gerendas bene compositum. In quo quidem potissima nobilitatis ratio sita est, adeo, ut Poetae & Philosophi, maxime Stoici, ex sola virtute eam spectaverint.

III. Quae de re multi multa hac de re controvertunt: *Juvenalis Sat. 8.* suam hoc reddidit carmine sententiam:

*Tota licet Veteres exornent undique, ceræ
Atria, nobilitas sola est, atque unica virtus.*

Seneca perinde in *lib. de Mor. Ep. 31. 44. lib. de ira*, & pertinaciter *lib. 2. cont. 6.* disputat contra nobilitatem generis, quam & *Hostiensis in cap. Venerabilis, de praben.* vocat nobilitatem stercoris. *Galenus in Exhort. ad bon. art.* comparat numismati, quod in sua tantum Republ. valet, in aliena adulterium est. *Aristot. 1. polit. c. 6.* vocat nobilitatem, quae domi tantum valet. Et quanta est nobilitas Turcarum, referente *Petro Bellon. lib. 2. observ. c. 95.* quanta fuit Romanorum nisi proprijs comparata factis? Id quod singulari laudi vertit suis Romanis *Tullius Hostilius apud Halyc. lib. 3.* quod nullam aliam in re quam virtute nobilitatem collocaverint: quae n. non fecimus ipsi, vix ea nostra putant, *Ovid. 13. Met.* Hinc & *Poggius Florenti. & Platin. in lib. de nobil.* omnem nobilitatem definiunt per virtutem.

IV. Ita quidem se res habet, ut illa ipsa nobilitas, sive in propriam sive alienam redundans personam, virtute per res gestas expressam innitatur tanquam fundamento. Non propterea tamen nobilitas generis delenda penitus, cum & ipsa fundetur super virtute parentum, quorum filii sunt quasi partes, ex mente *JCTorum*. Debet enim, recitante illa *Cicerone pro Sexto*, valere apud nos clarorum hominum de Republ. meritorum senex memoria, mortuorum quidem, sed in filiis reviviscentium. Cum enim ad exemplar nobilissimorum parentum suam illi instituunt vitam, & referunt non raro

raro pulcrè, quæ desideramus amissa in parentibus, genuini avitæ nobilitatis hæredes existunt. Quid? quod imposta sit nobili loco natis, quasi necessitas, ne à majorum virtute degenerent, ceu fatur *Boet. 3. conf. Philos. pro. 6.* si enim degenerare inceperint, incipit ipsorum contra se stare nobilitas, claramque faciem præferre pudendis. *Juven. Sat. 8.* Majorum gloria, ait *Martius apud Salust. in Jug.* posteris quasi lumen est, nec sinit eorum acta obscurari. Quantò vita majorum præclarior, tantò horum socordia ignavior, & turpior.

V. His inductus rationibus *Plato*, duo nobilitatis momenta asserit, aut virtutem, dignitatem, honorem Parentum, aut virtutem propriam: illo considerata modo nobilitas, est virtus generis, pronunciante *Aristotele 3. polit. 13. 4. polit. 5.* est quædam majorum claritas flaus, veniens de meritis parentum: hæc est gloria è propriis suboriens meritis. Quæ si in illâ inveniatur, amabile oritur vinculum; Iique omnium excellentissimi habendi sunt, qui tum propriis, tum alienis inclaruere factis. Quare Philosophi nobilem dici, tribus modis asserunt: genere, virtute, tandem utroque modo, quæ est perfectissima & numeris suis absoluta nobilitas.

VI. Talia sibi vindicat præmia virtus, & eodem jure vitia pœnas requirunt. Uti enim contingit, de plebe assurgere homini, & ad summum pervenire honoris culmen: ita non minus nobiles seu genere seu virtute deflectunt nonnunquam à virtute, omne vitiorum agmen incurrentes, pœnasq; idè in se derivantes: quâ verò proportionè illæ statuendæ sint, num Geometricâ, habito per se respectu personarum, an arithmeticâ, observatâ ante omnia ipsarum rerum, mensurâ ac modulo, est, quod in præsentì evolvendum suscepimus.

VII. Non revocabo illa omnia, quæ prolixius de principiis actionum iniustarum, ac æqualitate facti pœnæque deduximus. Hoc addere & per summam quasi extrahere, è re esse duco, quod & hîc primariò animus peccantis, & qualitas peccati attendendus fiet. Quod si enim peccatum nobilis aut benè meriti parvi est præjudicij, in quo non

adeò de proposito malo licet suspicari, condolendum est fragilitati humanæ, cujus testimonia potius, quàm affectata crimina censenda magnorum Virorum errata, judicat *Plutarch. in Cim. in pr.* Hujus rationem aperit *Aquinas c. 2. q. 73. art. ult.* Mitigationi itaque hic locus erit, si ex præsumptionibus animus convincendus; quæ semper minorem proœresin arguunt in viro spectatæ probitatis & nobilitatis.

VIII. Verum postquam constitit de malitiâ peccantis, & jam evidens probatio superat præsumtionem, nulla pro viris nobilibus aut benè meritis excusatio super est. Sicut enim præsumptio cessat si à crimine abstinuerit, & honestè vixerit aliquis saltem per triennium, ita virtutum memoriam scelerum copiâ deleri necesse est. Quæ denique opponantur pœnis irrogandis res benè gestæ, quæ provinciarum benè administratarum adducatur amplitudo, quæ nobilitatis per multam annorum seriem decurrentis memoria, nihil hîc præstare adeò possunt, nec mitigare supplicia, quin potius exaggerare delicti rationem, pœnamque intendere.

SECTIO II. DE PROPORTIONIS ARITHMETICÆ IN POENIS NOBILIVM FUNDAMENTO.

§. I. Non longius hîc arecessam principia, nec per multarum legum, quæ divinarum, quæ humanarum vagabon classes. Si humanum n. maximè attendendum judicium, momentaque, quæ ab omni sese parte ad manum dant, trahentia pensitentur, non à nostrâ mente adeò abluunt, quin potius uno consensu proportionem Arithmeticam in pœnis benè meritorum ac nobilium observandam injungunt.

II. Ita n. leges eæ non comparatæ sunt, ut se accommodent personarum dignitati, pro eoque respectu, alii hâc, alii aliam dictitent pœnam, sed facta æqualia æqualibus definiunt

finiunt suppliciis. Accedit, quod iudicium humanum illas partes subeat, non contra ipsas adeo personas, mox in excellentiori, mox in inferiori gradu constitutas, sed contra facinorosos potius, eorumque admissa delicta. Exemplo res evadet clarior: sit nobilis, qui propriam trucidaverit uxorem, aliaque perpetraverit scelera; delicta inferant capitis poenam, quocunque demum modo exequendam: morte plectitur ignominiosâ, non ut nobilis, sed ut homicida, criminumque capitalium reus. Hinc & usu introductum, ut instanti executione, dignitate priventur prius, in publico gradu positi facinorosi, eoque deponantur.

III. Plurimum v. proportionem illam arithmeticam injungit necessitas Reipublicæ. Tantum n. hâc impunitate læderetur ea, ut mores pravi in nimiam abirent licentiam, & quilibet meritorum a. nobilium sua suorumque majorum opponeret facta iudicio decenti: imò cum Manlio tenderet manus ad Capitolium, servatos cives, spolia hostium caesorum, dona imperatorum, coronas murales & civicas, cicatrices bello acceptas, subinde commemorante, *Livius l. 6.* aut cum Scipione Diis immortalibus sacrificatum abducat iudices, non eò malignitatis deventum putante, ut de suâ innocentia quæri debeat, & ratio H. S. quadragies exigi ab eo, qui ærariû suo ductu & auspiciis bis millies H. S. uberius fecerit: aut cum Antipatro *Jos. l. 1. bell. Judaic. c. 8. a. Aquilio,* tacita vulnera & honestas cicatrices *Flor. Epit. 70. Cic. 5. Verr. periculosasve pugnas initas cum Byrronio Pier. Matth. liv. 4. de l'histoir. narr. 4.* pro responso objiciet, subornato interim Antonio aliquo, qui pro Aquilio, a Cicerone, qui pro Scauro, si *Quintiliano* credimus *lib. 7.* facta verbis in majus extollat, de parvis magna loquendo, aut Tiberio Graccho, qui de Scipione Asiatico decretum interponat: Cum L. Cornelius Scipio die triumphi ante currum actos hostium duces in carcerem conjecerit, indignum & alienum à Majestate populi Romani videri, eodem ipsum duci. *Valer. 4. c. 1.*

IV. Proin rectè majores nostri, ait *Portius Latro in orat. in Catil.* summis laudibus efferendi sunt, qui Sp. Melium, qui Gracchos, qui Manlium Capitolinum, qui Drusum, qui Saturninum fortissimos homines & Reipubl. sæpe non mediocriter opitulatos, quod devenissent in affectatæ Tyrannidis suspicionem, morte mulctandos esse putârunt. Nec Sp. Melium favor amplissimus civitatis, nec Gracchos avi sui amplissimi Viri memoria, nec Manlios celeberrima gloria Capitolii liberati, nec Druso sanctissimi sui penates, nec Saturnino jus sacrosanctæ dignitatis auxiliata est. Sp. Cassio plus nocuit suspicio concupitæ dominationis, quam profuerunt tres magnifici consulatus, ac duo speciosissimi triumphus, *Valer. 6. c. 3. Halyc. lib. 10.* Non plus factorum suorum & servati Capitolii enarratione obtinuit Manlius, quam Appius, qui cum in vincula duceretur, subinde Majorum merita in Reipubl. domi militiæque collata concionabatur, suum infelix ergâ populum Rom. studium, quod æquandarum legum causâ, cum maximâ offensione patrum consulatu abiisset: suas leges, quibus vigentibus in vincula duceretur. *Liv. 1. 3.* Idque patritiis familiare fuisse ex exprobratione Marij conjicere est apud *Salust. in Jug.* dum aliis, qui deliquere, vetus nobilitas, majorum fortia facta præsidio ad sunt. Quod tamen fieri non debere, Censorius Cato exemplo Quinctii docuit, quem cum dimittere potuisset respectu consulatus, quem is gesserat, atque autoritate fratris ejus Flamini, eò magis tamen puniendum statuebat, quod amplissimi honoris majestatem tam tetro facinore inquinasset. *Valer. 8. c. 1.*

V. Prætereo in præsentis damnum, quod privatis inde personis impunitate hæc nimiaque licentiâ incutitur. Cum n. solatium ex irrogandis pœnis nobilium capere debeant, & restitutionem damnorum suorum expectare juxta *Aristot. 3. Ethic. c. 5.* spe excidunt conceptâ, & ad querelas injusti judicii provocantur, nefas fore ducentes, jus torquere pro lubitu, & humilioribus tantum pœnas inferre, dimissis
superi-

superioribus. Ingeminabunt talia vel cum *Catone*, parvos fures in compedibus degere, magnos in divitiis; aut cum *Senecâ ad Lucil.* sacrilegia minuta puniri, majora in triumphis ferri: vel denique cum *Poetâ*: Censuram corvis dare veniam, vexare columbas. Et quàm tragica ideò dederit exempla omnium rerum *Magistra experientia*, adduximus in *CAPITE PRIMO sect. 2. thes. u.*

VI. Et hoc modo statumina foret justitia commutativa fuleris suis in pœnis statuendis nobilium, æqualitasque demonstrata, quæ in justâ adæquatione delicti & pœnæ, non v. modo a. æstimatione perpessi consistit. Quid v. afferendum de illorum sententiâ, qui gravius puniendos nobiles esse, ac spectatæ autoritatis Viros, quam ignobiles inferiorisque cõditionis, judicât? An forteâ hoc judicii genus emerget ex justitiâ distributivâ, quæ illatâ proportionem Geometricâ, personarum habet respectum, adeò ut majora majores deceant; Quare & nobiliores majus reportabunt inde supplicium? Num v. salva adhuc arithmetica stare potest, his æque concessis statutis, potissimum, ac si personas hîc distingvat per accidens ac remotè, neque illarum respectus adeò pœnæ irrogationem, quàm facti æquationem, s. diversam actionem à diverso principio profluentem, ingrediatur. Aut, cum & æquitas intendere valeat pœnas, ejus ratio his forte suberit?

VII. Itâ omninò est, ut aliæ leges pœnam remittant, aliæ intendant nobilibus, quas ut ad consensum redigant Jurisperiti, distinguere solent inter peccata vulgaria & nobilitatis, sicut delicta militaria distinguuntur à cæteris *Polyb. l. 6.* & hæc in quatuor classes digerunt: quæ dignitatem concernunt: vergunt in illa, unde dependet nobilitas; a. in dedecus & ignominiam ejusdem: a. denique, quæ committuntur sub prætextu dignitatis. Postrema hæc omnium maximè impropriè talia dicuntur *Arniseo disp. de proport. arithm. lib. 33.* quia eo sensu & delicta militaria dicenda essent

sent, quando sub prætextu militiæ quis raperet non sua, a
alienas invaderet uxores. Cætera v. tria leges, quando no-
bilibus pœnas intendunt, non excipiunt. Ubi enim major
culpa, ut in sublimioribus, ibi gravior exercenda vindicta,
neque quicquam facit ad diminuendam pœnam, utrum quis
suam consceleret dignitatem, seu sibi noceat, sed utrum a-
liis, ut docet *Aristoteles 5. Ethic. 4.* Ergò quodcunque tandem
contra virtutes committatur flagitium, nobilitati splen-
dorem detrahit.

VIII. Præsto itaque sunt rationes, majorem pœnam
nobilibus adjudicantes, ac plebejis. Sive n. actionã ipsam vi-
tiosam in nobile, sive damnum, quod sibi inde & familiæ, &
Reipublicæ incutitur, spectes, undiq; se offerunt momenta-
trahentia; *Primò* itaque nobilis magis obligatus est ad Vir-
tutem actionumq; honestarum studium, quàm ignobilis. Si-
quidem nobilitas est virtutis præmium, ejus nota ac tessera.
Quo major itaq; est obligatio & dignitas personæ delinqvê-
tis, eò majus est ipsum delictum. Quod enim à summo Viro
fit, atrocissimum est peccatum, *August. ait. Chrysost. in c. homo*
Christ. dist. 46. inquit: homo Christianus cadit fortiter in pec-
catũ propter duas causas, a. propter magnitudinem pecca-
ti, a propter altitudinem dignitatis. Nec non Hilarius in c.
Nulli fas 25. q. 1. Majori reatu delinquit, qui potiore hono-
re fruitur, & graviora facit vitia peccatorum sublimitas pec-
cantium. Quod generalius protulit *Juvenalis Satyr. 8.*

Omne animi vitium, tantò conspectius in se
Crimen habet, quantò major, qui peccat, habetur.
Quantò majus itaque delictum, tantò major & pœna. Lex
præsumit majus peccatum in Clericis & in majori dignitate
constitutis. Major n. scientia firmiter parere debebat secun-
dum virtutem agendi propositum, ut explicat *Thom. 1. 2. q.*
73. art. ult. ideoque sicut periculosiores sunt morbi contra
naturam & temperiem corporis, anni a. regionis, ita gra-
viora evadunt peccata contra scientiam & proæresin com-
missa, quia firma proæresis à proposito non amovetur, nisi
vehementi objecto.

IX. De-

IX. Dein nobilis magis, quàm ignobilis Reip. prodesse, ejusque dignitatem amplificare & conservare tenetur: quãdò itaque illi obest, suisque flagitiis tenebras offundit, majori utique pœnâ & odio dignus. Quod *Thomas* sic proponit: augetur peccatum propter specialem repugnantiam actus peccati ad magnitudinem personæ, sicut si sacerdos fornicetur, qui castitatem vovit; princeps, qui custos ponitur justitiæ, justitiam violet. Medicus aut pharmacopola venenum misceat, æturius falsum committat, tutor stuprum pupillæ inferat, eò iniquius agunt, quo gravius decipiunt, eò quod nemo tale quid ab eis expectasset. Hinc prudenter *Varro Ep. 27. in pr.* inquit: Malorum omnium probatur extremum, inde detrimenta suscipere, unde credebantur auxilia provenire. Exaggerat n. culpam in contrarium versa crudelitas, & majus pondus est inopina deceptio.

X. Equis enim à domo justitiæ injustitiam, à radice pietatis impietatem, à fonte virtutum, quem continet nobilitas, vitiorum fluvium expectaret? Quare (quod tertium momentum conficit) delicta nobilium plus exemplo nocent, quam ignobilium, non secus ac verrucæ in facie, magis deformant corpus humanum, quàm in aliis illius partibus. Quandoquidem ut *Cicero lib. 3. de legibus* scribit: Vir magnus bis peccat, non tantum factò, sed & exemplo. Ex quo fundamento *Plato l. 9. de ll.* suam deduxit legem, quã severius advertit in liberos ac ingenuos, quàm servos, quia & accuratius, quid justitia exigat, nôrunt, & indignius dignitatem commaculant. Et rectè; cum servus, qui scit voluntatem domini, nec exequitur, pluribus excipietur verberibus; & cui multum datum est, ab eo multum repetetur, quod sacra insuper approbât oracula. Quã de re *Augustinus c. indignantur & c. ult. 32. q. 6.* tantò vult viros fœminis gravius puniri, quantò magis ad eas pertinet & virtute vincere, & exemplo regere fœminas. Nec minus *B. Gregor.* tot mortibus Prælatos dignos fore, censet, quot perditionis exempla

F ad

ad subditos trāsmittunt. *c. precipuè. 11. q. 3.* Et quomodo sacerdos, ait *Chrysoſt. in c. 24. Matth. hom. 5.* super omnem populum glorificatur, si benè fecerit, non solum propter suam iustitiam, sed propter omnium, quia causa est ipse iustitiæ universorum. Ita & peccans super omnes punitur, non solū propter suum peccatum, sed propter omnium.

XI. Proin ubi exemplo peccatur, exemplo quoque pœnarum opus est. Quod & sacratissimi Imperatores tum verbis, tum reipsā confirmant ex abundantia. Sic Theodosius & Valentinianus *l. un. c. de conductoribus* hunc in modum rescribunt: Gravior pœna est constituenda in hos, qui nostri juris sunt, & nostra debent custodire mādta: quæ verba non ad plebejos a. privatae sortis homines, sed & aulicos & in eminentiā dignitatū positos pertinere certum est. Et ne hęc de requisiam dubitare possit, idem imperator Theodosius ad Paulinum præfectum augustalem eandē legem, aliis tamē verbis satis perspicuis & illustribus repetit, inquit: Multo magis pœnā digni sunt, quibus cum plurimum honoris per nostram iussionem delatum est, occulto inveniuntur in crimine. Imò Bartolus refert, Barones facientes contra statutum principis, debere magis puniri, quàm alios cives, eò quod principi magis sint devincti.

XII. Nec verbis res confecta est, sed & ipso opere præstita. Romanos sanè ad Hannibalem deficientes cives gravius quam socios punivisse, autor est *Polyb.* quod, dicente *Cicerone* in *1. Catilin.* Viri fortes acerbioribus supplicijs civem perniciosū, quàm acerbissimū hostē coercendū putent. Quod in M. Manlii supplicio demonstrarunt, licet is propemodum manus ad Capitolium tenderet, Deosque Deasque in auxilium precatus *Livius l. 6.* sic Sthenelaidas Ephorus Lacedam. disputat contra Athenienses, virtutes suas contra Medos pro totā Græciā jactantes: Nulla inquit, excusatio est: Benè nos gessimus pro totā Græciā; quin potius postquam in deterius animos flexistis, & ferrum adhuc sanguine Medorum cruentum, in Græciæ viscera adigitis, duplici pœnā vos dignos decla-

declaratis, tum quod peccetis in patriam, tum quod ex bonis facti sitis pessimi. *Thucyd. lib. 1. sic Sveton. Gal. c. 9.* cum Baldo restatur, in regno Franciæ Magnates & nobiles proditoris & perfidiæ reos altioribus suspendi furcis; causam supplicij intensionis est proditoria deceptio, quia non aliunde gravior nascitur offensa, quam à quibus minimè oportebat.

XIII. Prætermitto alia clarissima experimenta, ut Julij Cæsaris, qui cum uxorem propter suspicionem habitæ cum Clodio consuetudinis abdicaret, & iniquè cum eâ agere putaretur, quod nōdum liquidis probationibus convictam egeret: Cæterorum, inquit, mulieres, satis esse, si facto careāt, suā verò debere etiā suspicione vacuā esse. *Plutarch. in Cæs.* Quod & Livia ad Augustū repetebat: privatis quidē hominibus sufficit, nihil delinquere: principibus, ne quidē suspectis esse, licet. *Svet. in Aug.* nec multis exponam de Augusto, qui Agrippæ & Juliarum filia neptisque impudicitiam longè gravius est ultus, quàm aliarum; aut de Ottone III. qui uxorem suam Mutinæ sine misericordiâ ob adulterium combusit. *Sigon. l. 7. de Ital.*

XIV. Et quid exemplis rem comprobo? ipsa adeò necessitas pœnas injungit intensiores nobilibus nonnunquam, insignioribus si notati forent criminibus, adeò ut pœna propter exemplum sit necessaria, cæteri que adeò à similibus peccatis, quæ prohiberi publicitus interest, metu cognitæ pœnæ deterreantur. *Seneca* rem totam succinctè conficit *1. de clem. c. 22.* differens: Tria spectat lex, ut aut eum, quem punit, emendet, a pœna ejus cæteros meliores reddat, aut ut sublatis malis cæteri securiores vivant.

XV. *Thomas* aliam intensionis pœnarum subjicit causam, ingratitude putat, quia omne bonum, quo aliquis magnificatur, est Dei beneficium, cui homo fit ingratus peccando. Et quantum ad hoc, cujuslibet majoritas etiam in temporalibus bonis peccatum aggravat, secundum illud *Sapient. 6.* potentes potenter tormenta patiuntur. Propterea n. parricidium & perduellio, quod crimen non nisi à subdito fit, tam severiter vindicantur, quia amicitia secundum excel-

lantiā obligat filios, & subditos ad majorem obedientiam *8. Etb. c. 7.* Nec prætereundum id intensiōis momentum, nobile flagitii reū non tantum alios, sed etiam seipsum, parentes atque majores suos lædere, contumeliâque afficere eò gravius, quò majori familia splendore donata fuit. Semel n. admittens sceleris quid in avitâ gloriâ & pœnæ vice in insulam delatus civitatem, libertatem, & dignitatem amittit de facili, ignobilis contra civitatis & libertatis amissionem tantum sustinet.

XVI. Et si ingrediendi judiciū divinū copia nobis daretur in præsentī, graviora pondera nostræ accederent assertioni. Gravissimum est, quod habetur, mandatum *Deut. 1. 16. 17.* & evidentissimum: Ita magnum judicabis ut parvum, nec erit apud Te acceptio personarum, quia judicium DEI est. In quod *D. Luc. Osiander part. 1.* hunc in modum commentatur: Ne timeatis à facie Viri, nec metuatis offensionem potentum. Vos non estis domini legum, ut pro vestro arbitrio a. affectibus justum opprimere, & injustum tueri liceat: sed Vicarii Dei estis: quare ita facietis officium, ut aliquando Domino Deo vestro, cujus servi estis, reddere rationem possitis. Adde *Proverb. 2. 23.* aliaque. Ideò sacer codex communes ad eò omniq̃ exceptione majores proposuit leges, ut sine discrimine sanguis ejus effundatur, qui sanguinem humanum effuderit. Judicium v. divinum nullus perrumpere mortalium debet, *Deut. 2 2. Paral. c. 9. Petr. Martin. in 1. Sam. 11. ad fin. in 1. Reg. c. 20. ad fin.* quoniam eo ipso, quo judicat judex in terris, judicatur à Deo in cœlis, ut ait *Landr. lib. 3. art. 30.* Religiosè admodum *Tullus*, licet *Horatii* absolutioni conniveret, expiandum tamen eum curavit iis lustrationibus, quibus voluntarii homicide lustrari consueverunt. Ita n. cogitabat expiare iram deorum, si quam ob inconsideratam absolutionem hausissent. *Halyc. lib. 3.*

SECTIO

SECTIO III.

DE POENARUM NOBILIUM BENE- QUE MERITORUM, TEM- PERAMENTO.

§. I.

Cum itaque nullum adeo præsidium nobilibus beneque meritis sit ex justitiâ, alia danda ratio, quare mitius nonnunquam puniantur, & in ipsarum inflictione poenarum præmium nonnunquam nobilitatis, aut rerum benè gestarum, reportent. Æquum quippe clementissimo cuique videtur, uti, quemadmodum in amicitia jubeat *Horatius*, cum vitis bona cõpensantur, ita & crimina, si quæ commissa, donentur pluribus meritis, donentur virtuti, ut ait *Quintil. decla. 30.* sicut familia Claudia Appium Xvirum Claudiorum nobilitati donari petit, apud *Liv. lib. 3.* & amici Manlii, Capitolini querebantur: Extinctam jam esse memoriam noctis illius, quæ penè ultima, atque æterna nomini Rom. fuerit: non obversari amplius speciem agminis Gallorum per Tarpejam rupem scandentis: Non ipsius M. Manlii, qualem eum armatum, plenum sudoris ac sanguinis, ipso penè Jove erepto ex hostium manibus vidissent: se librisne farris gratiam servatori patriæ relatum? & quem prope cœlestem, cognomine certe Jovi Capitolino parem fecerint, pati vinctum in carcere, in tenebris obnoxiam carnificis arbitrio ducere animam? *Liv. lib. 6.*

2. Hæc viâ Scaurum criminibus obrutum vetustissima nobilitas & recens patris memoria servavit *Valer. 8. c. 1.* & Athenienses, qui aliàs parcendæ virtuti satis duros se præbuerunt in Timotheo, Phocione, Miltiade, *Ælian. l. 3. c. 47.* Æschylum tamen ob drama quoddam impietatis damnatū, & jam lapidibus obruendum absolverunt, ob memoriam meritorum fratris Amyniæ, qui brachium in pugna Salaminense amissum ostendebat. *Ælian. lib. 5. c. 19.* Par enim esse, parentum

F 3

meri-



meritis posterum errata condonare, dicit *Joseph. 8. antiq. c. 5.*

3. Quâ de causâ faciles largiri possumus, benè meritis parcendum interdum, & præmia nobilibus decernenda & hic fore. talia v. ea sint, quæ non in contèptû Dei, divinarûq; legum vergant, & unde Respublica detrimenta & proximus damna capere possent. Æquum quidem est, ut principes, quò coguntur plus molestiæ devorare soli, nec non bene merentes plus voluptatis in recompensationem recipiant. Non rectè tamen hinc inferunt, qui voluptates ijs sequendas putant, cum detrimento subditorum aut proximorum. Nullam venationem majori cum affectu se spectâsse dicebat *Basilus Musc.* quàm cum vivis hominibus immisisset urfos *Orderbor. in vit. Basil.* Propter delectationem tamen à peccato non excusatur magis, quàm Vitellius, qui per cadavera hostium ambulans, cum alii præ fœtore nares occluderent, nihil dixit, melius olere, quàm occisum hostem *Sveton. in Vitell. c. 10.*

4. Quicquid itaque iustitia ex proportione arithmeticâ statuit, id æquitas temperare potest, cum nihil ipsa aliud sit, quam moderatio & benigna juris interpretatio. *Ab Aristot. l. 5. Eth. c. 10.* hunc describitur in modum: æquitas est correctio legis s. juris scripti ex eâ parte, quâ lex deficit ob suam generalitatem. Unde nominatur Græcis *ἰσότης*, *ἰσότης*, ab *ἴσχω*, cedo, quia is, qui æquitatis amans est, libenter cedit, & de jure suo aliquid remittit. *Ciceroni pro Cluent.* laxamentum quoddam legis, Capitolino in M. Ant. humanitas ac propemodum misericordia: Modestino æquitatis benignitas audit, quam opponit severitati & duritiei ut & *Comicus*, inquit. Nimum durus est præter æquum & bonum *Adelp. 1. sc. 1.* Et quanquam aliàs in genere æquitas pro quâcunq; legum correctione accipitur, quo sensu *Svetonius Claudium* scribit, duritiam lenitatemque multarum legum ex æquo & bono, perinde ut afficeretur, moderatum fuisse, ut plurimum tamen accipitur in mitiorem partem, quia jus summum summa sæpe injuria. *Cic. 1. offic.*

5. Ante omnia itaque æquitas moderatur legem & jus scriptum. Est enim quasi exceptio quædam à regula juris stricti. v. g. Lex scripta est: homicida est morte puniendus.

Ab

Ab hâc lege æquitas excipit illum, qui casu aliquo hominem fortuito interfecit, ne is secundum jus strictum plectatur capite. Quid? quod æquitas legem explicet, eamque debito modo ex mente legislatoris interpretatur: eoque sensu dicitur correctio juris scripti, cum ad non verba adeo, quam ad mentem legislatoris respiciat, & quæ generaliter dicta sunt, accommodat, apteque explicat ad casus speciales & singulares. Quo fine dicitur, defectum legis supplere, non quod legi insit vitium, & juri scripto, sed quia lex universaliter loquens non exprimit & determinat omnes circumstantias singulares, quæ circa jus scriptum accidere possunt; ideo lex dicitur deficere, non in se, sed in singularibus casibus & circumstantiis, quæ expressè non definiuntur in legibus, cum in regulis constituendis τῶν πλείων spectentur.

6. Hunc ergo defectum supplet æquitas interpretatione & applicatione circumscriptâ, ut quæque rectè & prudenter accommodentur ad suos casus juxta alias atque alias circumstantias. Rectè, ait *Aristoteles l. 5. Eth. c. 10.* casus specialis a. singularis contingit, qui in lege speciali non est definitus, tunc in locum legis s. juris scripti succedit, æquitas judicis, qui diligenter consideratis & examinatis circumstantiis omnibus unius facti, consideratâ etiam diligenter mente & voluntate legislatoris, perpensâ etiam & examinatâ sententiâ legis, eâque ad singularem illum casum a. speciale factum accommodata, ita de eo facto s. casu speciali judicat & pronunciat, quemadmodum ipse legislator, si præsens esset, fuisset judicaturus.

7. Hujus a. æquitatis causæ probabiles quædam dari possunt, ut utilitas publica, cui leges & universum jus committere se submitunt, & personarum reverentia. Unde & primitus originem traxit immunitas s. libertas Ecclesiastica, cum ut patres non facilè in jus fuerint vocati. Inde & Tullius ambigebat de judicio Horatii, cum nec dimitti tuto posset, nec damnari. Invidiosum n. putabat ad jugum & infelicem arborem rapere ex medio quasi triumpho, quod tantâ accessione rem Rom. non sine præsentaneo vitæ discrimine

mine auxerat : sed nec impunitum tantum facinus dimitti poterat, ob iram deorum & detrimentum Reip. *Machiav. l. 1. disc. c. 24.*

8. Frustrà itaque est omninò *Bodinus 6. de Republ. c. ult. Goclen. in prob. Ethic.* Harmonicam prætendens proportionem ubique, cum hâc ratione præscriptis non tantum justitiæ, sed & legibus divinis & humanis adversetur. Et nescit verò distingvere inter justitiam & æquitatem, judici relinquendam; Quicquid n. ipsi negotiû facit aliquod, nò ex justitiâ sed ex æquitate proficisci, nec harmonicâ proportionem definiri posse omnia patet, cum incertis semper sint obnoxia circumstantiis, nec in remissione pœnæ tantum, sed ubi res exigit, intensione quoque consistant, dummodò non excedat modum, sicut Galeatius Sfortia coëgit colonum, leporem, quem ceperat, crudum cum pelle vorare, unde mortuus est. *Coruis vol. 6.* Id quod exemplo furti declarat in politiori suâ doctrinâ politica in genuinam methodum, Aristotelis *CL. Arriæus. c. 17. de legibus p. 335. 336.* ubi demonstrat abunde unam ex harmoniâ deductam pœnam Bodinum furto præfigere non posse.

9. Et ut præter cætera *Bodinus* æque diversa peccata pro iisdem numerat, ita insuper leges cum privilegiis confundit : inveniuntur quippe in Romanorum jure privilegia quædam, in dignitate constitutis concessa, quæ sunt ordinarii juris derogationes : ideoque mirum non est, si ex utilitate quâdam pensiori à legum normâ, quæ est justitia, desciscant, utpote quod Menander manu missus & ad suos reverti jussus, jure de ipso lato declaratus fuit civis Romanus, quod & in Hostilio Mancino observatum fuit. Illa n. privilegia ex æquitate propter quandam utilitatem jus commune mitigant. Licet quædam iniquius sancita nonnunquam, ut idem probat *Arriæus laudatus l. c.* de fœminis adulteris propter infirmitatem à Capitali pœnâ eximendis. Cum tamen turpius ferè sit adulterium in muliere, ac in Viro, ex nonnullorum sententiâ.

SOLI DEO GLORIA.

WITTENBERG, Diss., ERG. B. D.,
1. 1612/1667

ULB Halle

3

005 377 20X




nicht verbewerten

W 177

Wilb. Felger
Buchbinderei
Bismarckstr. 8





B.I.G.

Farbkarte #13

K 944

27. 24.
45.

27

D. FRENZELII,
ULT. PHILOS.
NCTI,
LEUCOREA,
TATIO
POLITICA

ENIS
NE ARITHMETICA
ENDIS,

rum collatio.
distinctis vici-
ntilata.

:Hake, Anno
LXIV.

64

no 13

